DIVINA VELIFICANTE GRATIA
DISSERTATIONEM
DE

JURE INDIGE-
NATUS

SINGULARI

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO


DN. HENRICO HAHNIO

ICto Celeberrimo, Codicis Professore, ac
Facultatis suæ Seniore, nec non Ducalis Dica-
sterij Wolferbytani Assessore
Gravissimo

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO
Perpetua animi observantia prosequendo
Placidæ Ventilationi propalàm subjiciet

JACOBUS LEMBKEN Hannoveranus.
AUTHOR.

IN MAIORE NOVI IULEI AUDITORIO
ad XXXI diem Octobr.



HELMÆSTADII,
Typis HENNINGI MULLERI,
Anno CIƆ IƆ C LXIII.

OBvia-pertractare stylo, & tritissima quæque,
Vulgarem ingenii res sapit illa salem:
Ast tentare viam, qua nemo pane praivit,
Auspiciis propriis, hoc opus, hic labor est.
Tu, rari exempli juvenis, carissime Amice,
Conjicis in Chartam dogmata rara Tuam.
Gratulor Hannoveræ de juribus Indigenarum,
Indigena ut quondam rarus & opto sies.

Ita Helmstadii Præstantissimo Dn. Resp.
gratulabatur amico suo
dilecto.

BARTHOLDUS RICHARD
J. U. Ddus.

UT duce naturâ genitor cupit optima natis,
Jureq; præ aliis ornat amatq; suos,
Sic meritò indigenas peregrinis patria præfert;
A patre namq; suum patria nomen habet.

Adjice,

Adjice, quod patrios nō refert advena mores:
Quippe nec ignotum diligit usque solum.
Indigenæ verò patriæ se, non sibi, natos
Norunt, quæ *immemores non sinit esse sui.*
Hi prodesse volunt, caput objectantque periclis
Pro Patria & vitam perdere dulce putant.
Indigenas aliis igitur præponere par est,
Si virtute pares hi videantur iis
Hæc SOBRINE, vides, genitalia jura tueri
Ergò putas rectè muneris esse tui
Quinimo doctæ dum promis munera mentis
Indigenam egregium te simul esse probas.
Macte animo, felix pergas insistere cœptis,
Patria grata tibi digna brabéa dabit.

Ita Per-eximio Doctoctissimoque Viro Dn. IACOBO LEMBKEN I. U. C. Consobrino suo singulariter dilecto imque gratulatur.

M. HENRICUS UFFELMANNUS
Verdensis.



I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIONIS
De Jure Indigenatus
PARASCEVE



Icuti quod jucundũ eſt omnium mortaliũ animos trahit,&quaſi thyrſo amœnitatis percutit,ſic exquiſita patrii ſoli dulcedo ſobolẽ ſuã ad amandũ rapit,eãq;ſibi firmisſimo quodã obligationis vinculo adſtrictam tenet.Hoc Tullii hominis patriæ amantiſſimi partitiones clamare videntur,in quibus ſcriptum legimus: *Aut charitate moventur, homines, ut Deorum, ut Parentum, ut Patriæ.* Quod uſque adeò verum eſſe puto, ut hujus rei teſtimonia citare nihil aliud ſit, quam ſoli lucem fœnerari, imprimis de Amore erga Patriam, de quo nobis jam aliquid dicendum. Quis enim omnium Gentium adeò Cimmeriis tenebris immerſus, & tanta cyclopica barbarie defœdatus eſt, qui affirmare audet, eſſe æquum, non diligere locum incunabulorum, bonorum omnium datricem, & homines, quos ambit locus ? Quis adeò degener, qui non confiteri cogitur, hunc affectum eſſe cuilibet homini innatum ? Quis ergò tam noxius Patriæ erit Civis, qui non potius in procurando ipſius bono, quam in malo conſciſcendo occupatus inveniri optabit? Certè is contra legem Naturæ, quæ eſt Imperium rectæ rationis, admodum gravè peccaret, recta enim ratio ab hoc tanquam per ſe abſurdo reſilit. Quid enim eſt, quod relegationis, quodque exilii pœnam tam acerbam reddit? quod

ultimis expiandis ſceleribus hoc ſupplicium invenerunt Leges, niſi ſit ingratum imo durum natale ſolum ſive patriam non aſpicere ? Quam SPARTANI ut Numen quoddam coluerunt. (*a*) Quam CYRUS inviſtiſſimus Perſarum Monarcha Cambyſi ſuo ſumma diligentia commendavit (*b*) quam ROMULUS ita dilexit, ut excitanda ibi Urbe patriæ famam propagaverit (*c*) quam efferus ille CAJUS omnibus aliis locis prætulit (*d*) quam VESPASIANUS in ſua felicitate aſſiduè frequentavit, ne quid oculorum gratiæ abſentia deperiret. Hæc eſt, quam Orator ille Athenienſis Iſocrates in Oratione Areopagitica ſummis laudibus effert: In ſingulis, inquit, aliis locis, peculiari quodam genio, fructus & arbores, & animantium innaſci genera ſcio, quæ longè aliis præſtent: noſtrã autem tellurem, viros & educare & gignere poſſe, non tantum ad artes & actiones ingenioſiſſimos, ſed & fortitudine & virtute præſtantiſſimos: qui omnes in procurando *patriæ* bobo occupati ſunt. Idem & nobis de Germanis noſtris rectè & verè dicere licebit, qui præ cœteris omnibus terrarum nationibus in procurando patriæ bono, ejusq; defendendæ cauſa enixè ſoliciti fuerunt, & adhuc ſunt. Ea propter hactenus pro patria mori & in ea tumulari maluerunt, quam aliis *eam* cedere, quod omnes, qui iis bella inferre attentarunt experti ſunt. Hinc eorum felicitati meritò omnes aliæ Gentes cedunt: Aſſyri, Mœdi, Perſæ, Macedones & Græci quidem res magnas geſſerunt, nec facilè ab aliis è provinciis ſuis exturbari paſſi ſunt, paulò poſt tamen in ſervitutem ſunt redacti. Romani quondam Domini Dominorum poſtea Gothorum, Vandalorum, Longobardorum, & cœterorum qui Italiam ingreſſi ſunt populorum bello ſuppreſſi, & hodie ex parte SERVO SERVORUM ſubjecti ſunt. Soli verò Germani ex omnibus fermè nationibus ſunt, qui Dei Ter Opt. Max. beneficio primariò, & propria fortitudine ſecundariò (quæ ex-

ſervido

(a) Iuſtin lib. 2. hiſtor. n. 11 ibique ſtrig. in not. Hieroc apud ſtrobæ ſerm. CLVII.
(b) Xenoph. cyrop 8.
(c) Flor. l. 1.
(d) Sveton. in Calig. 8.
(e) Sveton. in Veſpaſ.

fervido amore partim erga patriam, atque seipsum, partim erga propinquos & secularia bona promanat:) sine jugo servitutis libertate hactenus gavisi sunt: Nunquã ab exteris omninò Patriâ pulsi, nullis cedentes, nulliusque exteri dominium diu passi fuerunt: quare ab ipso Iulio Cæsare Gens longè maxima & bellicosissima vocantur, & Claudianus Poëta cecinit.

Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos,
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta,
Quis meminit victum sola formidine Rhenum?

Huc etiam pertinet optimum illud testimonium, quo Tacitus MAJORES nostros coronavit: Ipsos Germanos INDIGENAS esse, inquit, crediderim, minimeque aliarum adventibus mixtos, & porrò quis præter periculum Asiâ aut Africa, aut Italia relictâ Germaniam peteret? Quibus verbis abundanter fortitudinem & amorem Germanorum erga patriam indicat, pro qua non modò opes & facultates, sed etiam sanguinem & vitam suam profundere nunquam dubitaverunt. Quis quæso! non multo magis hodie Germaniam communem nostram patriam amore prosequi & amplecti velit? cum non amplius, ut tempore Taciti, informis terris, tristis cultu aspectuque, verum cultissima, vinetisque, & omni fructuum segetumque genere & conspicua & fœcunda sit? Insuperque non amplius Sol, astra, cœteraque Ethnicorum simulachra, sed verus ac unicus DEUS CREATOR CŒLI ET TERRÆ cum FILIO & SPIRITU S. in ea adoretur? nemo facilè invenietur. Quandoquidem ergò Indigenis citra omne dubium tantus erga locum incunabulorum amor innutritus sit, ut etiam jure Naturæ Patriæ obligentur, & quoniam quotidie videmus, homines de patria & domicilio semper summè solicitos esse, inque eorum desiderio animum & ingenium relinquere totum defixum, non immeritò Majo-

res antiquiſſimis & optimis pariter conſtitutionibus eadem charitate moti providerunt, ut certis quibusdam privilegiis, & juribus ſingularibus præ cæteris forenſibus, extraneis & novellis civibus poſteri fruantur. *De quibus ergo* nunc opere magis pro ingenij modulo, quam verbis oſtenſuri ſumus, non tantùm quod naturale judicium, ſed & ea quæ *jus Divinum, jus commune, jus Publicum, jus Canonicum, cæteraque ſpecialia ſtatuta nobis ſuppeditarunt.* Ne autem laxato quaſi freno vagemur, placet noſtrum hunc diſcurſum methodo huic materiæ non inconveniente tradere & examinare: Nimirum in parte *prima* generali definitionem nominalem, & realem, diviſionem, fundamentum, & quæ circa ſubjectum conſideranda veniunt exponam. Deinde in parte ſpeciali *altera* de ſingulis juribus Indigenarum tam perſonalibus quam realibus tam publicis quam privatis acturus ſum. Et denique pars *tertia* aget de iis, quæ ad judicia pertinent juxta informationem *l. 1. ff. de ſtatu homin.* Faxit UNICUS ILLE ET INEXHAUSTUS IUSTITIÆ ET BONITATIS FONS ut feliciter ſuccedat.

Methodus hujus diſputationis

PARS GENERALIS

POSITIO I.

I. Ut intermiſſo ulteriori præloquio ipſius rei tractationi manum admoveamus, ante omnia juxta Ciceronis illud tritum axioma, noſtra inſtitutio à definitione, antequam in interiora materiæ viſcera penetramus, proficiſci debet, ut conſtet quid ſit id de quo diſputaturi ſumus.

II. Omnis enim diſputatio admodum difficilis eſt, niſi id de quo ea inſtituitur ab initio rectè definiatur. Ariſt. *Top. 3.* unde definitio amuſſis proprietatis & totius tractationis fundamentum appellatur: Everhardus à Midlenburg *loc. 3. n. 4.*

III.

III. Hanc definitionem duplicem esse Nominis, nempe & Rei communiter Peripatetici statuunt: Illam esse vel Etymologicam, vel Synonymicam, vel homonymicam, quas jamjam ordine in scenam producemus.

Positio II.

IV. Quamvis in jure nostro non tam verborum, quam ipsius rei vis atque potestas consideranda, *l. 17. ff. de LL.* non tam verborum intellectus quam mens Legislatoris investiganda, *l. 13. §. 2. ff. de excus. tut. & Cur.* sed melius & commodius sit sensum magis, quam verba amplecti, *l. 3. §. 9. ff. de adimend. vel transfer. Legat.* nihilominus tamen verum manet, quod rerum intelligentia ut plurimum à verborum dependeat, intellectu *A. Gell. l. 13. Noct. Att. c. 10.* Ioh. Emeric. à Rosbach. *in praxi civili tit. 71. n. 1.* & Schaliger *Exert. 365.* & quod ex derivatione nominis sæpissimè inducamur in significationem rei: propterea rectè prius nosse oportet unde nomen descendat, *l. 1. ff. de I. & I. l. 1. de pactis l. 1. de Reb. Cred. l. 1. de susp. Tut. &c.*

V. Indigena dicitur quasi *inde genitus*, qui eo in loco quem incolit, natus est, & hanc derivationem nominis citra dubium ponimus, quia notam facit personam de qua prædicatur: vid. Eberh. *in loc. l. 4. n. 8.* Hinc quoque venit vocabulum indigenatus. Faber in Thesauro Erud. Schol. voce Gigno. Etymologia.

Positio III.

VI. Nec infrequens est hujus vocabuli apud Latinos Autores usus, idcircò si & nos ista utamur, quis nobis versurus vitio? Licet autem in jure nostro non facilè reperietur nomen indigenarum, tamen aliis nominibus, quæ idem significant, satis luculenter describitur. Nimirum: *1. Originarij* dicuntur, de quibus titulus in Cod. de Municipa-

 libus

Synonimia libus & originariis. 2. *Originales* vocantur *in l. 4. C. de incolis & ubi quis domicil: hab. vid. 3. Naturales & necessarij cives, arg. l. 6. §. 1. ff. ad munic.*

VII. Ita in multis adhuc hodie civitatibus vocantur indigenæ pleni cives, sive κατ' ἐξοχὴν Bürger/ ut Augustæ Vindelicorum, & alibi, reliqui autẽ Einwöhner/Beysassen/aut Pfalbürger/Dn. Besold. in Synopsi polit. *lib. 1. c. 16. n. 6. f. 87.* Propterea autem vocantur Bürger/ quia olim in Civitatibus Imperialibus cives primarii in Burgis hoc est fortioribus ædificiis habitabant, quo adversus plebem vel tempore civilium actionum tutiores essent, & illi erant quos hodie Patricios vocamus.

Græci vocant Indigenas Αὐτόχθονας.

Gallis dicuntur Les natifs du pais, au du lieu.

Itails Nati nel paese: sive colui che habita in quello istesso luogo dove egli è nato.

Germanis die an einem Orthe gezogen / und gebohren / sive Stad oder Landkinder. Speidel. in spec. Einheimische Levit. *24. v. 16. & 22.* Kinder à Christo ipso vocantur *Math. 17. v. 25.* ubi opponuntur den Frömden/Kinder des Volckes *Levit. 19. v. 18. 9.* Jus autem quod hisce indigenis competit, vocatur communiter à Doctoribus *Ius indigenatus*, aut, Naturale patriæ jus, *Graven. lib. 2. pract. conclus. 35. n. 2. & seqq.*

POSITIO. IV.

IX. Hisce prælibatis æquivocationis larva quoque detegenda venit, ne nobis quisquam objiciat vulgatum illud: Errorum genetrix est æquivocatio semper. Solent autem voce Indigena promiscue uti, mox pro Cive *in genere* sic dicto, mox pro municipe, mox pro *quovis incola* alicujus Regionis, provinciæ seu civitatis, ii qui sine distinctione loquivi assueti sunt. Ideoque ne confundantur sed constet, quænam significatio genuinam disquisitionis nostræ

Homonymia.

rubri-

rubricam designet, accuratè sciendum in quo differant à se invicem, & in quo conveniant.

X. Civis in genere potest definiri, quod sit pars rectæ administratæ civitatis, natus vel factus, aut omnium aut non omnium civitatis immunitatum & jurium particeps, Arist. *3. pol.* Arnis. *tom. 1. c. 12.* & Excell. Dn. Balth. Cellar. *in pol. c. 5. §. 15. & 18.* Ex hac definitione in aprico est duas esse civium classes, quarum primam constituunt ii, qui parente cive sunt *nati*, & hi sunt veri Indigenæ sive Originarii, quos origo sive jus nativitatis fecit, *l. 1. l. 6. D ad municipal.* Andr. Gail *Observ. 36. n. 5.* Alteram verò *facti*: hi sunt, qui jus civitatis acquisiverunt *l. assumptio. ff. ad munic.* aut, qui noviter recepti, & certò aliquo pretio, de consuetudine omnium locorum civitatem sibi coëmerunt; & postquam juramentum fidelitatis & obedientiæ, quod homagiale vocant, præstitêre, quo debitam obedientiam & morem se gesturos sub fidei religione pollicentur, in numerum civium electi. Knichen *de jure territ. cap. 3. n. 162.* Quod ubique hodie observatur, ita tamen, ut primo à Magistratu sub quo hactenus degerunt, literas testimoniales exhibeant, probentque, se istic loci honestè vixisse, ac bona gratia discessisse. Pro cujusque loci consuetudine & observantia interdum etiam cautionem præstare tenentur, se legitimè natos esse, daß sie recht / und frey gebohren / und niemand eigen sein. vid. Klock. *consil. 29. n. 1000.* Dn. Lindenspur *in Ordinat. polit.* Wurtemb. *fol. 5. & seqq.* quæ omnia ab originario non desiderantur. Patet itaque ex hac descriptione civium quod nullo modo omnes, Cives in genere sic dicti sint indigenæ

In qua significatione Cives sunt indigenç in qua non?

XI. Municipes jure Civ. Rom. ij dicebantur, qui in civitate recepti ut munera cum populo Romano facerent *l. 1. § 1. ff. ad municipal.* ibique Nobiliss. Dn. Præses *in Observ. n. 3*, aut, qui in civitatibus exteris habitabant, & Romanæ civitatis

An Municipes & in qua significatione sint Indigenæ.

tis jure in tantum vel in totum gaudebant; *In tantum* cum saltem muneris honorarij cum populo Romano participes essent, aut interdũ jus commercii, connubij, ac successionis haberent, simulque munera subirent, jus suffragiorum autem & magistratum in Vrbe capiendorum non haberent: nam quando suffragia ornabantur suis legibus spoliati Romanis obstringebantur, Sigonius *lib. 2. de antiqu. Iur. Ital. item de tiqu. Iur. provinc.* Hinc Tacitus *lib. 4. Anal.* Municipalem adulterum pro ignobile & obscuro appellitat. *In totum* autem sive in supremo gradu iis jus civitatis Rom. concessum erat, quando simul jus suffragii habuerunt, & ad honores admissi sunt Dn. Struv. *in synt. ad munic. th. 46.* In hac ergo posteriori significatione municipes & quando ex duobus Campanis parentibus, aut ex patre Campano, matre vero Puteolana nati sunt, utique veri Indigenæ fuerunt, *d. l. 1. §. 1.* In prioribus autem significationibus, quoniam non omnibus privilegiis & immunitatibus civium gavisi sunt, indigenis annumerari non merentur.

Hodie omnes qui ex municipibus nati. Indigenæ sunt.

XII. Cum autem hodie faciem Romani Imperii penitus immutatam videamus, & jure moderno municipes isti vocentur, quibus jus civitatis à principibus seu statubus Imperij concessione summæ majestatis, quod fit quando Cæsar iis, territoria in feudum concedit, tribuitur: *Speidel. voce* Herligkeit. *Obrecht. de Regal. tit. 8. Dn. Lampad. p. 3. c. 14. ibique in prælect. publ.* Clariss. Dn. Conringius & quidem ita ut inter se Consules & Senatores cum ordinaria jurisdictione & mero Imperio eligi queant, fruanturque omnibus privilegiis & civitatis juribus, ideoque non immeritò omnes qui ex hisce municipibus nascuntur Originarij seu Indigenæ nunc salutantur.

Num Incolæ sint Artochtones, & qua in significatione?

XIII. Qui aliquam Regionem, vel civitatem inhabitant gratia & animo domicilij ibi contrahendi propriè incolæ dicuntur

cuntur *l. 3. C. de Incolis l. 239. de V. S.* sic dicti quasi valdè colant civitatem in quam se transtulerunt, *Wesemb. Consil. 40. n. 19.* & sunt Cohabitantes, quales erant Judæi in Ægypto & Aricini apud Romanos de quibus *Liv. lib. 2. Hist.* Qui in hac propria & stricta significatione non utuntur juribus civitatis, & per consequens etiam non sunt cives, *l. 3. cum seqq. C. de Incol.* nec *Indigenæ*.

XIV. Communiter quoque, licet abusivè, omnes illi qui civitatem inhabitant, sive sint cives Originarii, sive adventitij, sive honorarij, incolæ vocari solent, inter quos Originarij Indigenæ existunt.

XV. Denique accuratè observandum, quod Indigenæ vocabulum interdum accipiatur in communissima & latissima significatione, interdum in communi, interdum in stricta significatione, nam in hac triplici significatione patria accipitur, ubi autem quis dicitur habere patriam, ibi etiam eum creditur esse indigenam.

XVI. In communissima significatione vocantur homines totius mundi Indigenæ, ubicunque etiam animo benè sint, seu in quacunque parte terrarum sedem rerum fortunarumque collocaverint. Ita peregrini quoque seu forenses sunt Indigenæ, & quocunque loco nati, quo parentes jus civitatis non habent, Indig. in communiss. sign.

XVII. In communi significatione homines appellantur indigenæ ejus Regni, provinciæ aut territorij ex quo originem traxerunt: sic Roma communis omniũ civium Rom. quocunque loco degentium patria fuit *l. 33. ad munic. Don. 17: comm. 3.* Ita in Republica quoque Judæorum omnes illi fuerunt Indigenæ, qui ex semine Jacobi nati fuerunt, uti colligitur *ex c. 23. Deut. & ex c. 23. & 24. Josue.* Sic omnes illi Indigenæ Germani sunt, qui in Germania à Germanis nascuntur. In communi.

XIIX. In stricta significatione quis dicitur Indigena ejus In stricta

ejus civitatis in qua natus est, ex patre vel avo cive, *l.1.6.17.§.9 l.22.ad mun.* Adeoq; error est quod viro docto Salvator noster vocatur civis Bethlehemensis, à loco civitatis in qua natus, *Luc.c.2.3.4.5. Ioh.c.7.42.* & alii à suis locis *Ruth.c.1.2.3.19.20.21. Iudic. c. 20.1. Chron. cap. 6.* Atque in hac ultima & media significatione, missâ primâ, nobis jam Indigena definiendus est.

POSITIO V.

Indigena quis

XIX. Est ergo Indigena homo natus in aliquo Regno, provincia, aut civitate, ex parentibus qui in ea domicilium & maximam partem rerum fortunarumque suarum habuerunt, gaudens omnibus privilegiis & juribus originariorum dum ibi commoratur.

Ius indigenatus quomodo definitur.

XX. Ius indigenatus autem nihil aliud est, quam singularis facultas Lege concessa, originariis præ reliquis extraneis & novellis civibus competens.

POSITIO VI.

Divisio

XXI. Hoc jus indigenatus dispescimus in illud quod in genere tale, ac comprehendit omnes species juris indigenis competentes, & quod in specie tale est in unicò saltem ac altero actu conspicuum. Deinde aliud est ex jure personarum, non quidem ex statu Libertatis aut Familiæ, sed Civitatis, arg. *l. f. de Cap. min.* & §. *1. I. eod.* aliud ex Jure Rerum.

XXII. Indigenæ quoque sunt vel verè tales, quos jam definivimus; vel per fictionem juris, qui fortuitò casu alibi nascuntur alibi nasci finguntur: Inter quos etiam recensendi ex J. Rom. 1. servi manumissi, qui sequuntur originem patronorum. *l. 6. §.3 l. 22. §. 2. ad municip.* 2. Adoptati, qui originem naturalem imitantur, dum in ea civitate in qua pater adoptivus est, cives fiunt *l.1 pr ff. d. t. ad munic. l. 282. de V.S.* Sicque dixerim jus indigenatus aliud esse Naturale aliud Civile.

Posi-

POSITIO VII.

XXIII. Causa Efficiens juris Indigenatus est vel remota vel proxima, remota partim est jus Divinum, partim jus Gentium, Civile, & Canonicum, partim Leges provinciales, leges & Statuta municipalia, interdum etiam longa consuetudo jus aliquod facit indigenis, & facere potest *arg. l. 32. ff. de LL. l. juris gentium 7 ff. §. 1. de pact. l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit* Ernestus Cothman *1. Conf. 16. n. 4.* Causa Efficiens remota.

XXIV. Propinqua sive proxima est ipsa Nativitas, quæ Origo dicitur *l. 7. C. de incolis l. 15. §. ult. ad municipal.* naturæ quoque & originis veritas *l. 6. pr. ad munic.* quæ est fundamentum totius juris indigenatus, qui enim eò vult uti frui necesse est, ut vel verè, hoc est naturaliter, vel per fictionem juris hoc est civiliter natus sit in Civitate, non simpliciter & tantum, à quacunque etiam persona, sed à patre, qui domicilium & maximam partem rerum fortunarumque suarum in ea collocavit, Menoch. *lib. 6. præs. 30.* Amaya. *l. 10. tit. de municip. & incolis*: Uno verbo qui ejusdem fuit civis *d. l. 7. C. de Incol.* Propinqua.

POSITIO IIX.

XXV. Quicunque ergo nascitur ex parentibus salva civitatis jure peregrinantibus, civis nascitur non ejus civitatis in qua mater casu fortuito peperit, sed in qua pater domicilium fovet, & in qua reversis à peregrinatione parentibus natus esset: fingitur itaque natus in civitate, ubi mater fingitur esse, *arg. l. 26. ff. de capt. & postlim. revers.* Et distinguendum hic est inter actum nascendi, & inter jus nascendi, actus enim nascendi, quando mater fortuito casu abest, non facit indigenam, sed jus nascendi, i. e. ubi jure nasci debuisset, *arg. l. 3 C. de munic. ibique Cujac.* Idem quoque sensere *Bald. Alberic. Castrens. aliique in l. 3. l. 84. §. 10. de Legat. 1.* ubi dicunt, filium non sortiri Originem ejus loci, quo transeundo nascitur, & paren- An is qui fortuito casu in aliquo loco, ubi mater ad tempus moram traxit, nascitur, sit Originarius istius loci ubi natus est, an in eo loco ubi matre fuisse fingitur?

 tes

tes ad tempus tantum ibidem erant mansuri, animo revertendi in patriam, in qua constituêre domicilium. Deinde ea quæ fiunt in transcursu quasi nulla habentur, & ideò hic filius indigena non dicitur ejus loci in quo casu natus, sed illius in quo pater degebat: vid. Leoninus *Consil. 34. & 44.* Christinæus *Decis. 33.* Et Paul. Castrensis *dict. loco* mentionem facit de statuto observatione digno, quod Bononiæ aliisque Urbibus Ital. vigorem habere dicit, eòque cautum esse, quod nullus Doctor possit esse de collegio Jurisconsultorum aut Medicorum, qui non Originarius civis, ast si mater casualiter absit & pariat, filium tum fingi natum in civitate, ubi matrem fuisse fingitur, nempe Bononiæ. Simile statutum in Collegio Ferrariensi vigere testatur Felinus in *c. Rodulphus X. de* Rescriptis.

XXVI. Verum ergo est ut quis Originarius tantùm possit vocari, sufficere quidem nativitatem, nam qui ex patre Helmstadiensi fortuito casu natus est Brunsvigæ sic origine Brunsvicensis est, quia ibi genitus, non autem Indigena quoad effectũ est, quia ipsi jure indigenatus Brunsvicensiũ frui non licet, ratio, quod pater non fuerit civis: vid. latius Nob. & Excell. Dn. Præses Faut. ac Præceptor meus nunquam satis colend. *in Observ. ad t. ad munic. n. 4.* Dn. Mœv. *ad jus Lub. l. 1. t. 2.* ubi absurdum est, inquit, quod à nonnullis creditur, solam nativitatem, etiamsi quis fortuito nasceretur, transeunte fortè patre & matre, vel alicubi ad tempus commorante, originarium facere, sc. quoad effectum, add. *Chassanæ: in Consu. Burg: rubr. 3. §. 7.*

XXVII. Antwerpiæ tamen singulare aliquod statutum est, ut quicunque ibi nascitur sit civis originarius, sive parentes in eâ domicilium habuerunt, sive non, teste *Lud. Dietherr. ad Besold lit. B.* Von den Bürgern/ & hinc fortasse Perezius *in Comment. Cod. ad t. de Munic. & Orig.* hanc opinionem fovet,

vet, inquiens : Attendendam esse potius veram originem, quam destinationem animi parentis, cum ista destinatio non possit ipsam destruere veritatem &c. Et hoc quidem in tantum verum est, ubi enim quis naturaliter nascitur, ibi quoq; indigena est, attamen ut antea dictum, quoad effectum non est Indigena ejus civitatis in qua fortuito casu nascitur, sed in qua pater civis est, nisi expresse aliquo speciali statuto cautum sit, quod etiam in ea jure Indigenatus frui possit, videsis Boër. *decis. 13. n. 51. & seqq. Matth. de Afflict. decis. 31. &c.*

Positio IX.

XXIIX. Cœterum Imperatorem in Republ. German: à quo principaliter omnes liberalitates, dignitates, jurisdictiones, Regalia, Feuda, nobilitates, & privilegia promanant, universalia quædam jura indigenis concedere posse, ac concessisse indubitatum est. Interim tamen etiam multi ex singulari benevolentia Electorum, Principum, atq; aliorum Imperii Ordinũ, quibus in suis provinciis singularia quædã privilegia & statuta promulgare liberum & licitũ est, per Ord. *Polit. de anno 1577. tit. 20. §. fin. Ord. Cam. part. 2. tit. 13. & 17. & p. 2. t. 1.*) indigenatus juribus ac beneficiis gaudent. Subjectum à quo

XXIX. Idem est, quoad Civitates Municipales jurisdictionem non limitatam habentes, quibus hodie jus condendi statuta & jura municipalia competere constat, Molin. *ad Consuet. Paris. in pr. n. 38.* Vasqu. *illustr. controv. c. 34. n. 2.* modò legibus publicis non sint contraria, vel juri Universali, *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu, l. 5. ff. de coll. & corp.* Ergo etiam indigenis suis singularia privilegia concedere possunt. Si verò Civitates Municipales & alii magistratus inferiores limitatam habeant jurisdictionem, in iis tantum in quibus habent jurisdictionem, statuta & privilegia condere possunt & si nullam habeant jurisdictionem, tunc sine superioris cõfirmatione quicquã largiri nõ possunt *arg. l. fin. C. de testam.*

XXX. Imò collegia licita & univerſitates ſtatuta facere poſſunt in pertinentibus ad ſuam adminiſtrationem, in iis verò quæ publicam concernunt utilitatem, vel totius patriæ, absque ſuperioris conſenſu nihil diſponere poſſunt, Dd. *Comm. in l. omnes populi ff. de I. & I.* Beſold. *de Iurib. Univerſ. c. 8. n. 6.* Bruning. *de Variis Univ. ſpec. concluſ. 51.*

XXXI. Ita quoque in aliis Regionibus ſeu Rebuspublicis iis, qui habent poteſtatem leges ferendi talia conſtituere, licitum erit. vid. Knipſchild. *de juribus & priv. Civ. Imperial. Lib. 2. c. 10. & l. 5. c. 2.*

POSITIO X.

Subiectum ad quem Num omnes Indigenæ indiſtinctè hiſce juribus uti poſſint? Excipiuntur. 1. Infames. 2. Hæretici 3. Banniti. 4. Excommunicati. 5. Spurii 6. Iudæi.

XXXII. Omnes & ſinguli indigenæ hiſce juribus uti frui poſſunt, qui non excipiuntur, ſed illis juribus & privilegijs digni reperiuntur. Excluduntur autem regulariter 1. Infames 2. Hæretici, *l. 2. l. 4. C. de Hæret.* 3. Banniti, qui poſtquam culpa ſua in peregrinationem inciderunt, amplius inter Indigenas referri non poſſunt, ſed pœnis potius quam beneficijs afficiendi ſunt, Gail. *l. 2. de P. P. c. 10. n. 4.* 4. Excommunicati, *per c. 2. de except. c. ſi quis 11. q. 3.* 5. Spurii ſeu vulgò quæſiti, Ariſt. *4. Polit. c. 6.* Deut. *23. v. 2. & arg. l. 1. inf. l. 24. ff. de ſtat. hom.* niſi per ſubſequens matrimoniū, vel Principis reſcriptū Patris cōditiones & originē acceperint *arg. Nov. 87.*

XXXIII. 6. Judæi nequaquam ſunt annumerandi Indigenis, multò minus illorum juribus & privilegijs frui poſſunt, etiamſi à multis ſeculis originem probent in aliquo loco: Non enim à civibus ſunt nati, ſed ſunt homines perfidi, qui Chriſtianorum facultates non exſugunt tantum, ſed etiam horrendas blaſphemias in Chriſtum, aliaque multa in contemptum Chriſtianæ religionis dicta factave impiè evomere ſtudent. *Speckhan in Diatagm. Judæorum*, quare non facilè recipiendi in Republ. Chriſtiana, *Limn. I. P. l. 3. c. 2. n. 19. & ſeqq.* quamvis id permittatur Electoribus *in t. 9. A. B.* Recepti vero ſaltem in numero ſubditorum ſunt, quoad onera ferenda,

non ut commodis viciſſim gaudeant, contra *Reg. I. 10.* Quare in terris Imperij vocantur ſervi Cameræ Imperialis, Käyſerliche Fiſcäliſche Knechte / ut apud Lehemann: *lib. 7. Chron. Spir, cap. 43. p. 789. Limn. in annotat. ad art. 23. capit. Carol. 4.* Deinde ad officia publica nequaquam admittuntur, *per l. fin. in pr. C. de Iudæis, c. 15. & 16. X. de Iudæis.* Prohibentur quoque matrimonia cum Chriſtianis inire, *l. 6. C. de Iudæis c. 28. q. 1. in pr. Auguſtin. l. 4. de Civitate Dei c. 18.*

POSITIO XI.

XXXIV. Non minoris momenti quæſtio eſt: An Profeſſores & Studioſi ratione loci, habitationis & domicilii ſint cives, & per conſequens juris indigenatus participes? Verùm exploratum eſt, illos proprie non eſſe Cives, adeòque nulla ratione Magiſtratui oppidano ſubjectos, ſed eſſe quaſi metatos, hoc eſt ad loca, in quibus Academiæ fundatæ ſunt miſſos, ut ibi corpus peculiare faciant, ſecundum leges & conſuetudines proprias vivant, & doceant & diſcant, *l. 2. C. de incol.* Erneſt. Cotmann. *Reſp. Acad. 1. n. 104.* Nec propriè loquendo Incolæ ſunt, nam Incolæ ordinarii loci magiſtratum agnoſcunt, quod ſecus eſt in Profeſſoribus & Studioſis, qui proprium & ordinariũ Iudicem habent, *Auth. Habita C. ne fil. pro patr.* vid. omnino Cotmann. *d. loc. n. 106.*

An Profeſſores & Studioſi ſint Indigenæ.

XXXV. Bartolus tamen in *l. municeps 23. §. 1. ad municipal.* & Felinus *ad rubr. de Magiſtris &c. n. 1.* ſtatuunt, Doctorem eſſe civem ejus loci ubi legit, ſicuti miles ubi meret, *arg. l. 23. §. 1. ad munic.* quod Doctor dicatur miles militiæ legalis, Bart. *d. l.* Verùm quia jure ſingulari id *d. §. 1.* de domicilio militis conſtitutum eſt, ideò ad conſequentias non fuerit trahendum, *l. 14. & 16. de Legib.* Manet itaque verum, Profeſſores non eſſe cives ejus loci in quo merent docendi cauſa; Niſi & ibidem inſimul Cives allecti fuerint, aut ex origine loci tales ſint, vel ſpecialiter à Principe id impetra-

petraverint, & propterea hoc maximè casu indigenarum juribus fruuntur. Cujus equidem egregium exemplum in hac illustri Iulia compertum habeo. Quoniam juxta privilegia Academiæ specialia, indulta *anno 1593.* promulgataque Vice Rectore D. Andrea Cludio ICto, jura indigenarum competunt Professoribus & Academiæ Adsessoribus. Verba habent: Zum fünfften ordnen / setzen / verabscheiden und wollen wir / das den Professoribus und Gliedmassen unser Julius Universität / gleich den Bürgern / Vieh zu halten / und jhnen zu dero behueff der gemeinen Trifft / Hude und Weide an Laub und Gras / im Holtz und Felde / wie den auch zu vorangedeuteter notturfft der Roßmühlen umb gewohnliche Gebüer unverhinderlich zugebrauchen: Dergleichen der Ziegelkauff / jedoch in dem Werth / wie bißanhero geschehen / gleich den Bürgern von mehrerwehntem Rahte unser Stadt Helmstedt / verstattet werden: Die Professores aber und andere unser Julius Universität angehörige Gliedmassen / oblerührtes jhr Vieh für den gemeinen Stadhirten zutreiben / und demselben zu rechter Zeit seine gebürliche Belohnung zugeben / auch dem Rath und Bürgerschafft / da jhnen im Holtz und Felde an Jhrer Trifft / Hude und Weyde eintrag geschehen und beschwerung zugefüget würde / jederzeit ein und beyrähtig zu sein / und darin gebürlich bey zu springen / hinwieder schüldig sein sollen. Et porrò; das auch aller befreyeten Persohnen in unser Stad Helmsted geborne Kinder / wan sie Stad pflichtig worden / das Bürger Recht oder die Bürgerschafft zu gewinnen nicht schüldig / sondern derselben ohn erlegung solcher Gebüer / wegen jhrer aldar geschehenen Geburt / fähig sein.

Num Cameræ Assessores? XXXVI. Idem de Cameræ Assessoribus notavit Tilmannus *in Decisionibus Cameralibus Synt. 1. Decis. 5. n. 3.* quod scilicet sint Coloni vel quasi Metati, qui Spiram missi & deputati sunt ab Imperatore, non ut civitati subjiciantur,

tur, ejusque commoda & onera ferrent, sed ut ibi tanquam in loco commodiori jurisdictionem Imperii exercerent, suis legibus & juribus utentes.

XXXVII. Dictum est supra quod quis ratione nativitatis quidem possit nominari indigena, non autem statim ibi jure indigenatus uti, cum non parentis domicilium sequatur. Quid si deserat civitatem patris & transferat domicilium in locum nativitatis, ubi indigena est ratione nativitatis, an tum gaudet in illa jure indigenatus? Nequaquam, quia ibi non à parente cive, sed à peregrino natus est, ideoque jus civitatis sibi coemat oportet, & per consequens adscriptitius saltem civis est, licet in ea natus sit.

XXXIIX. Si autē parentes sunt Cives in utraq; civitate, & in altera non minus quàm in hac æqualia bona possideant, v.g. Sempronius Civis Magdeb., est etiā civis Hallensis, & tā in illa quā in hac domiciliū habet, uxor ejus peperit Magdeb. filiū, quæritur nū ille in utroq; loco sit indigena, & per conseq: juris indigenatus particeps? & R. affirmādo *arg. l. 27. & 6. §. 1. ad mun.* ubi dicitur, quod quis duarū civitatū civis esse possit, ergò nullus dubito, quin filius in utraq; juris indigen. uti queat, quāvis in altera civiliter in altera naturaliter sit indigena. Interim tamē verū manet, quod tā de jure civ. quā de moribus nostris nemo cōmodè simul plenarius civis esse possit duarū civit. diversis dominis subject., prout tradunt, *Afflict. dec. 384. n. 13.* Arnisæ *de republ. c. 5. sect. 7. n. 8. 10. 20. & 21. & per c. 6. Matt. 5. 24.* Nisi utroq; domino ita placeat: videantur exempla apud Joh. Dacon. *de orig. & jure patrit. lib. 3. c. 3. n. 24.* Thusc. *lit. C. concl. 147. n. 4.*

An quis duobus in locis simul possit hisce juribus uti frui?

An quis simul & patris & matris domicilium sequi possit?

POSITIO XII.

XXXIX. Ordinariè patris non matris domicilium sequuntur liberi, nisi fortè privilegio aliquo materna origo censeatur, ut liberi civitatem & municipium matris suæ sequantur, ceu testatur de Iliensibus, Delphensibus & Ponticis, Ulp. *in l. 1. §. 2. ad municipal. ibique* Gotofr.

Liberi patris conditionem sequuntur.

XL. Aliàs ſecundum jus Civile in nuptiis legitimis liberi patris conditionem ſequuntur, *l. 19. de Stat. hom. l. ingenuæ C. de Murileg. l. 36. C. de decur. l. 10. ff. de Senator. l. 196. de V. S.* Regn. Sixtin. *lib. 2. Conſ. Marp. 9. n. 28.* Quare etiam liberi à nobili patre progeniti pro nobilibus habentur, etiãſi mater fuerit plebea, 1. quia mariti Nobiles tribuunt fœminis nobiliſſimam dignitatem, *per l. fœm. ff. de Senator.* quorum radiis illæ coruſcant, *l. ult. C. de Nupt: in verbis: Sentiat mulier viri fulgorem*: & Impp. Valent. Theod. & Arcad. *in l. 13. C. de dignitatibus* dicunt: Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, &c: Hinc firmiter concludo, quod fœminæ plebejæ nubentes viris nobilibus ipſæ fiant nobiles; quam ſententiam communiter Dd. defendunt, inter quos Andr. Tiraquell. *de Nobilitate c. 18. n. 3. & ſeqq.* Andr. Alciatus *in l. pronunciatio §. familiæ ff. de V. S. n. 6.* Felin *in c. novit ille n. 2. X. de Iudic.* Herm. Vult. *lib. 2. conſil. 17. n. 46. & ſeqq.* Reink. *de Regim. Sec. & Eccleſ. lib. 1. claſ. 5. c. 11 n. 33.* add: Chaſſanæus *in Cathal. gloriæ mundi p. 8. Conſ. 8.* & per conſequens nullum dubium eſt, quin liberi ex ejuſmodi matrimonio progeniti ſint veri nobiles, & propterea recte jure indigenatus fruantur, non minus quàm qui ex patre & matre nobilibus nati ſunt: Etiam ad feuda in Camera & Saxoniæ Electoratu admittuntur, quo de fidem faciunt Regner. Sixtin. *dict. Conſ. Marp. 9.* Vultei: *Conſil. 17.* Schurff. *Cent. 1. Conſ. 1. n. 17.* Carpz. *in Iurisp. Eccleſ. l. 2. tit. 11.* ubi præjudicium affert.

XLI. Et quamvis Nobilitas illuſtrior & ſplendidior vulgò habeatur, ſi ex parte quoque matris accedat nobilitas, (& propterea in nonnullis Galliæ locis receptum ſit, ut nobilitetur plebeæ, antequam nubat, venter Fr: Conan. *c. 11. n. 6.* ſimiliter id obſervari in Regno Guineæ teſtetur Camill. de Curt. *p. 1.* & apud Calecutios Indiæ populos

Bodin : *lib. 1. de rep. c. 3. in fin.*) nullo tamen jure introductum esse, ut octo vel decem generationes nobilium ex utroque latere probentur, inquit Idem Bodinus *lib. 6. cap. 6.* ubi illum morem Germaniæ pernitiosissimum vocat. Interim tamen secus nati satis frequenter postponuntur & non admittuntur in hastiludiis ad hastam vibrandam, vel ad annuli immissionem zum freyrennen/zum Cornet stechen oder Ringelrennen. vid. Tholos. *in Synt. l. 48. c. 16. in f.* Quod consuetudine in Germania esse introductũ experientia testatur. Attamẽ exinde non colligitur, quicunq; non admittitur ad hastiludia ille non est nobilis; majus enim & minus non alterant speciem, sed tantùm gradus inducunt; licet itaque paulò illustriores sint illi qui admittuntur ad hasti ludia, nihilominus tamen reliqui qui non admittuntur, manent nobiles.

POSITIO. XIII.

XLII. Porrò ne digressionem facere videamur à via recta, investigabimus veritatem in hac, quomodo si fortè alicui quæstio status moveatur ille probari possit, se esse indigenam? Dd. varii variè sentiunt, Ang. *Cons. 194.* putat communem opinionem in hoc sufficere, & idem Albericus *in Part. 1. stat. quæst. 78.* Andreas Alciatus ICtus putat *in tract. de præsumpt :* præsumi aliquem civem Originarium alicujus civitatis, in qua habitare reperiatur. Bartolus *in l. 1. ff. ad Municip.* dicit: Quando ignoratur Origo alicujus, an scilicet sit hujus vel illius Civitatis & loci, præsumitur esse illius in quo fuit alitus & educatus, Menoch. *l. 6. præsumpt. 30.* Sed qui vult probare se esse indigenam, omnino demonstrare tenetur, primò se esse natum ex ea Civitate sive regione, aut ex eo loco, in quo se indigenam esse contendit, ut supra dictum. Secundò se esse ibi natum ex patre Cive, qui domicilium & maximam partem rerum fortunarumque suarum in eo habuit.

Quomodo probatur origo.

PARS SPECIALIS.

DE JURE INDIGENATUS PUBLICO.

I. Circa prælationem in honoribus conferendis.

Positio XIV.

Num Indigenæ in capescendis honoribus extraneis præferendi sint an non? Affirmatur.

XLIII. Expoſitis iis quæ ad generalia Indigenatus pertinent, commodum fortaſsè erit progredi ad Jura ipſa indigenis competentia. Hæc vel publica, vel privata ſunt.

XLIV. Inter publica non immeritò primo loco ponitur jus prælationis quod indigenis competit tam in Politicis, quam in Eccleſiaſticis functionibus obeundis, ſive in capiendis honoribus: & ſicuti hoc in vetuſtiſſimis & ſplendidiſſimis Rebuspublicis floruit, ita & hodienum in optimis Europæ Regionibus (inter quas Germanorum palmam obtinet) viget & obſervatur.

1. probatur rationibus

XLV. Et quidem meritò, recta enim ratio hoc faciendum eſſe dictitat, 1. quoniam indigenæ majori Studio & fide ex innata erga patriam charitate omnes cauſas acturi præſumuntur, quàm quivis extranei. 2, Originarij melius cenſentur ſcire mores, cor civium, & conſuetudines ejus Civitatis ex qua nati ſunt : jam verè ſummum caput Conſilij de Republ: dandi eſt, noſſe Rempublicam, eamque habere exploratiſſimam *juxta Cic. 3. de Orat.* & mores hominum ſcire ad negotia tractanda apprimè conducit, quemadmodum id pulchrè demonſtrat Excell. Dn. Herm: Conringius *in tractatu de Civili prudentia p. 37. 268. & 343.* Ergo utique cæteris, qui hominum mores & conſuetudines Civitatis non tam accuratè perdidicerunt præferendi ſunt. 3. Iniquiſſimum eſſet indigenas exteris poſtponere, illis

que omnem ansam de patria bene merendi præripere, cui tamen præter Deum principaliter obligati sunt *l. 2. ff. de I. & l. 4.* Extranei ut plurimum eam erga populum repræsentare nequeunt benevolentiam, ac Indigenæ, ideoque magnam multitudinis invidiam & odium in se concitant, ex quo innumeræ oriri solent dissensionum occasiones, seditionesque, quæ Reipublicæ bonoque publico admodum noxiæ: vid. Arnold. Clapmarius *de arcanis Rerumpubl. l. 3. c. 23.* Christ. Besold. *lib. 2 polit. c. 3. §. 11. n. 6.* Phil. Cominæ *lib. 8. in fin. Hist. Gall.* & novissimè Dn. Samuel Puffendorf *in disqu. de Oblig. advers. Patriam.*

Positio XV.

XLVI. Hinc ipse Deus populo judaico dedit præceptum, ut Regem constituant non de numero peregrinorum, sed ex fratribus: *Statuito*, inquit, *super te Regem, quem elegerit Iehova Deus tuus, è medio fratrum tuorum, non enim poteris tibi præficere virum extraneum, qui non frater tuus sit: Deuter. 17. v. 15.* Et *Exodi 18.* consulit Moysi Socer ejus, dicens: *Provide de omni populo, sive ex toto hoc populo judaico viros strenuos & timentes Deum eligi, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, quos constituas super populum Tribunos & Centuriones.* Nec alia Dei T. O. M. mens fuit, quando judices, moderatores, & præfectos ex Tribubus constituere jubet, *Deut. 17. in pr.* 1. Ex Iure Divino.

XLVII. Et proculdubio propterea etiam hoc voluit observari omnium laudandarum rerum Moderator, ac Sapientissimus Legislator: Ne peregrina religione, peregrinis legibus, institutis, moribusque Populus Judaicus imbueretur, dum exteri iis præponerentur, quorum imitatores facilè reperti sunt.

Positio XVI.

3. An etiam fundamentum habet in jure Civili Romano & in quantum fuit observatum hoc jus apud Romanos? Prætores non ex provinciis eligi potuerunt.

XLIIX. In jure Civili Romano videtur quoque confirmatam esse hanc assertionem, quod sc: in dignitatibus conferendis originarij præferendi sint extraneis: *juxta l. 17. §. 4. ff. ad munic.* qui dignitatum non sunt capaces, *l. ult. C. de Off. Prætor. ibi: Potius eligendi sunt Prætores qui habent Larem in Urbe. quam illi qui sunt de provinciis. Nec si quis fortè propter alias causas ad hanc Urbem de provinciis venerit, ad Præturæ munus efferatur, sed tantummodò, qui hic domicilium fovent.* Verùm quoniam hæc lex generaliter loquitur de omnibus iis qui domicilium in Urbe sive sit Naturale sive Accidentale fovent, sequitur, quod etiam omnes illi Cives qui in Curias descripti & in Urbe domicilia habuerunt, ad dignitates promoti fuerint, quamvis olim Civitate Romana nemo fruebatur, nisi utroque parente Cive natus: Livius *Lib. 43*, quod tamen jure Justinianeo mutatum *l. 1. §. 2. & l. 38. §. 3. ff. ad Municip.*

XLIX. Reliqui autem, qui in provinciis habitaverunt Romanorum ditioni subjectis, & in curias non descripti, fuerunt hujus juris incapaces, & propterea ad honores in Urbe aspirare non potuerunt: qua de re egregiè fidem facit Livius *in lib. 23.* quod nempe Romani nullum facilè extraneum in Curiam receperint, bellum propterea decernere maluerunt quam exterum Consulem videre. Quippe Titius Manlius Romanorum Consul, cum Lucius Annius Setinus ausus esset petere, ut Consul alter ex Latio crearetur, juravit si tanta dementia Patres conscriptos cepisset, ut à Setino homine Leges acciperent, se gladio cinctum venturum, & quemcunque in Curia Latinum vidisset, sua manu interempturum.

Nec Consules.

L. Syn-

L. Syndici quoque regulariter ex ipſo univerſitatis corpore eligi debent, *per l. 4. ff. quod cujusque univerſ. nom.* ibique Weſemb. *in parat. n. 5.* & Excell. Dn. Henricus Hahnius Patronus ac Fautor meus obſervanter æſtimand: *in Obſerv. n. 5. arg. c. 1. X. de Synd. c. quosdam c. quanto. de præſumptionibus.* Ratio eſt, quia præſumptio militat pro illis quod majore ſtudio & fide communitatis ſuæ cauſas acturi ſint, quam quivis extranei. Si verò in ipſa univerſitate idonei, ſive habiles ad officia ſuſtinenda non reperiantur, quod ſanè hodiè, dum in tanta copia Germani literis operam dant, rariſſimum exemplum eſt, tum extranei etiam conſtitui poſſunt, Weſemb. *in Parat. ad ff. d. l. Col. Arg. eod. tit. n. 8. & arg. l. 11. §. 1. ff. de muner. & honor.*

Syndici ex ipſo univerſitatis corpore eligendi.

LI. Denique etiam ſecundum jus Civile Epiſcopi & Clerici non ex alia poſſeſſione vel vico, ſed ex ea ubi eſt Eccleſia, ordinandi ſunt, *l. 11. C. de Epiſc. & Cler.* ibique Baldus, & Alberic. *in l. divin. ff. de tut. & Curat.*

Clerici ſecundū jus Civ: ex ipſo Eccleſiæ gremio eligendi

Positio XVII.

LII. Nec in jure Canonico deſunt textus hanc ſententiam confirmantes. Nam 1. Nicolaus Papa in concilio Lateranenſi decrevit, ut eligerentur Epiſcopi & Clerici ex ipſius Eccleſiæ gremio, ſi modò idonei reperiantur, ſin minus ex alia nempe ex vicinitate eligerentur: ut eo melius linguam loci teneant, ejusque ſenſum calliant *vid. Diſt. 23. c. 1. in nom. Dom. c. ne pro defectu 41. X. de elect. c. bonæ memoriæ 4. X. de Cler. pereg.* Rochus de Curte *rubr. de inſtit. Epiſc, n. 47.* Ratio certè hæc eſt, quia hoc munus rectè impleri non poteſt per eos, qui intelligere nequeunt loquentes, nec clarè & perſpicuè intelligi poſſunt: hinc Div. Auguſtinus in egregio *libro de Civitate Dei* inquit: Facilius animalia diverſi generis ſibi ſociari, quam diverſæ linguæ ejuſdem ſpeciei homi-

4. Ex Iure Canonico.

homines; & diversitatem linguarum hominem ab homine separare & alienare. Et Div. Paulus *1. ad Corinth. 14.* verè & prudenter dicit: Si nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus. vid. latius Felinus *in all. l. Vallens. Vngepaur.* & alij.

5. ex variarum Rerump. observantia.

POSITIO XIIX.

LIII. Si historiarum monumenta revolvere liceret, & de variarum Rerumpublicarum statutis inquirere, facilè inveniemus, quod ferè apud omnes Gentes, quæ unquam bonam Rempublicam constituerunt, hoc Jus in usu fuerit, quò non peregrini non extranei, sed Indigenæ, qui inter illos nati, ejusdemque nationis fuêre ad officia publica evecti sunt.

Apud Hebræos floruit hoc ius prælat. in conf. honorem

LIV. De Hebræorum Republica res est expedita, ut supra demonstravimus & probavimus ex Sacræ S. locis.

In Monarchia Persarum.

LV. De Persarum Monarchia constat, quod Cyrus Rex & Monarcha Cambysi suo mandatum dederit, ut in quocunque Regno in quacunque provincia Indigenæ, ut qui naturâ, moribus, linguâ, & in aliis provinciarum incolis pares sint, in officiis præponerentur, teste Xenoph. *Cyrop. 8. & Arnisæ. in polit. p. 1.*

Apud Atehn & Lacedæm:

LVI. Quod ipsum in Rebbusp. Atheniensium & Lacedæmoniorum observatum, uti testantur Chass. *in Catal. gloriæ mundi p. 11. Cons. 22. ibique allegati* Autores. Lycurgus enim legem tulit, ne extraneus in numerum Civium assumeretur: Plutarch. *in Lycurg. & in Themistocle, Bodin. de Republ. l. 1. c. 6.* multo minus ad rerum gubernacula promoveretur.

Apud Chinenses.

LVII. Et famosissimi acuminis Chinenses in præfecturis bellicis, quia amore patriæ fortius eam defendere crediderunt indigenas prætulerunt. *Frigant. de Regno Chin. c. 6. p. 138.*

LIIX. Hiſpani ſanè hujus juris indigenatus rigidiſſimi obſervatores fuerunt, & adhuc ſunt; Hinc ferè in furorem agi ſolent, ſi munera magna & illuſtria hominibus exteræ gentis committi videant, ex quo ſe contemni, indignosque Regni dignitatibus exiſtimari ſuſpicantur, & certè ægerrimè ferunt plus fidei aliis peregrinis & adventitiis, quam Civibus & Indigenis à Rege haberi, cui tamen vitam & ſalutem ſuam omnem crediderint: Herm: Kirchn. *de Off. & dign. Cancell: l. 3. C. 4. n. 8. & 9*: Bobadilla *in polit. l. 1. c. 12.* Quid hactenus in Portugallia juris, diſcimus ex literis Franciſci de Souſa Legati Portug. ad Status Imperii *Anno 1641. d. 24. datis*, quæ inveniuntur in Theatro Europ. *p. 4.* In Hiſpania. In Portugallia.

LIX. In Gallia extat conſtitutio Caroli VII. *de anno 1431.* qua inhibetur omnibus alienigenis habere officia & dignitates Eccleſiaſticas; præſertim verò Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, Prioratum ſine permiſſione Regis poſſidere nequeunt, Tholoſ. *de Rep. l. 4. c. 6. n. 10.* Bret: *de la ſouveraiutè de Roy: lib: 2. ch. 8. p. 220.* Deinde etiam à Ludovico XIII, in Gallia ſpecialiter conſtitutum, ne ad miniſterium verbi divini Reformatæ Religionis admittantur exteri. Rationes edicti habentur *Tom. 14. du Mercure Franceus, p. 264.* Lymn. ad Capit. Carol. V. *n. 28.* In Gallia tam in Eccleſiaſticis dignitatibus,

LX. Et non tantùm in eccleſiaſticis ſed etiam in politicis functionibus hæc prælatio Originariorum Galliæ obtinet. Idque ex Conventionibus & articulis *ſur le Mariage de Roy Loys XIII.* probo, ex quibus patet, quod Rex in pactis dotalibus cum Anna Principiſſa Hiſpaniæ Reginæ miniſtris & officiariis quidem omnimodam jurisdictionem in dotalitio bonorum immobilium conceſſerit, hac tamen lege, ut Officiarii ex Galliæ Regno eligerentur, ſecundum Ordinationem Regiorum ſtatutorum. Eadem ordinatio no- quam in Politicis præferuntur Indigenæ.

 viſſimè

visſimè confirmata & in articulis pacificationis Regni Gallia rum reperitur,quâ exteris ad officia aditus ſine permiſſu Regis eſt præcluſus. Bugnonius *lib. 2. des Loix abrogees*. Et Barquetus *part. 2. de droitt d' aubeine ch. 11. n. 1.* refert extraneos in Francia præſertim non admitti ad officia monetaria,nec ad Conſulatum Rothomagenſem,nec ad Ordinem equeſtrem S. Spir. niſi diſpenſatio Regis accedat.

In Anglia. LXI. In Britannia quoque Lex eſt : Sacerdos exterus (præprimis Gallicus) ſacerdotium non occupato. Quæ etiam ad alia officia extenditur,& ſanè non inter levisſimas nuperrimæ Angl. ſeditionis cauſas recenſetur, quod multi Indigenarum exteris poſtpoſiti fuerint,teſte Joh. Milton. Anglo *in defenſ. pro populo Anglicano.*

In Rep. Veneta LXII. In inclyta porrò Republica Veneta extraneis aditus ad honores præcluſi ſunt, referente Franz. Patritio *de Inſtit. Reip. tit. quod tutius Cives quam peregrini imperent.* In hac Republica, inquit extraneis nullus eſt locus, & tamen nec juſtitia nec ſeveritas deeſt, & ex ejusmodi judiciis nullæ diſcordiæ,nullæ ſeditiones, nullæque inimicitiæ oriuntur. Et unum adhuc addit, quod nunquam ſe alibi lectitaſſe meminit,nempe:quod Ordo Civitatis,qui à primis conſtitutus fuiſſet,ſemper immutatus manſerit. Illi enim qui hanc Urbem ædificarunt, inter ſe ſuos magiſtratus diviſerunt, quas præmium laborum ſuorum, & hanc hæreditatem poſteris reliquerunt, ut nullum advenam aut inquilinum ad magiſtratus admitterent,& ita obſervatum eſt, ait,ultra mille annos, vid. quoque Jacob. Novell. *ad ſtatuta Venetorum.*

In multis Italiæ Urbibus & in Helvetia. LXIII. Idem jus Genuæ,aliisque in Italiæ liberis Urbibus viget, Antimach. *lib. 1. theor. 3. p. 157. & ſeqq.* Nec Helvetici peregrinum adminiſtrationi regiminis publici præfici unt. Dn. Arumæ: *ad t. 2. Aur. Bull. diſcurſ. 2.*

In Hollandia. LXIV. Leges quoque Hollandicæ vetant,ut quis extra

tra Hollandiam natus honores capiat. Postea verò Proceribus placuit eo jure non uti, nisi adversus Nationes, quæ par jus in Hollandos usurparent, Hugo Grotius *in Introd. Iur. Holl. lib. 1. p. 13. vers. Aemptter pen.* Sunt tamen in Hollandia oppida quædam, quæ jus specialius habent, & neminem admittere coguntur nisi genitus sit certos intra fines, Zypæus *in suo jud. l. 1. c. 36. sub fin. item lib. 4. c. 29. n. 9.*

LXV. Brabantij inter alia & hoc obtinuerunt privilegium, ne peregrinus ad munera admitteretur publica. Idque ipsis fuit concessum ita, ut si quid contra fieret, subditi juramento essent soluti, teste Meteran. *in Histor. Belg. lib. 14. p. 713. & 716.* Ernestus Eremund. *de Orig. belg. tumult. p. 21.* In Brabantia.

POSITIO XIX.

LXVI. Nec aliter sese res habet in Imperio nostro Romano Germanico, (ut antea brevibus dixi) non tantum circa Officiales Imperii, qui constituuntur, ut serviant Imperatori quatenus Regi Germanorum: Sed & ipse summus Reipubl. nostræ Moderator ex Civibus Imperii Originaiis eligi debet, quemadmodum gravissimo testimonio Electoris Moguntini Sleidanus probat *Lib: 1. hist:* Idem testantur Georgius: Sabinus, Conradus Peutingen: Iacobus Wympheling. Sim: Pistor: Henn: Göden, Petrus Heigius, Andr: Knichen, & alii, dicentes: Alienigenis omnibus ad tantum tanti decus Imperii viam præclusam esse. Et secundum hanc legem sæpissimè Iudicatum est: cum præ Philippo pulchro Galliarum Rege eligeretur Henricus VII Lucenburgicus, præ Francisco 1. Carolus Austricus v. In Imperio nostro Rom. Germ. Ipse Imperator debet esse Germanus.

LXVII. Nec desunt qui Legē ejusmodi ab Ottone 1. alii ab Ottone III, Serenissimorumq; Principum nostrorùm in regimine harum provinciarum Antecessoribus gloriosissimis latam fuisse contendunt, inter quos est Sigon. *lib. 5. d. R. I. p. 111.*

p. 111. & Dn: Gebhardi *in tr: de sacro Romano nationis Germanorum Imperio, qui est in Nac: I: P.*

LXIIX. Quomodocunque autem ista se habeant, lege certè non scripta assertionem nostram niti, exteri pariter ac nostri, & tot seculorum constans memoria luculenter probant: vid: Æneas Sylvius *de ortu & autor. Rom. Imp. c 10.* Limn *d. l. P. l. 2. c. 2. n. 82. & seqq.* Reink. *de R. S. & E. lib. 1. Cl. 2. c. 2.*

LXIX. Nec moveor exemplis Alphonsi Regis Castiliæ, Richardi Angli, atque Wilhelmi. Præterquam enim quod in turbis & magna Principum discordia à paucis singuli eorum electi sint, firmiter non potest concludi: Ergo Lex abrogata est. Nam Lex illa antiquissima Germanorum est, quæ alienæ gentis homines ad imperium pervenire prohibet. Hinc Christoph. Leheman. *in Chron. Spir. l. 2. c. 22.* scribit. Von den Frömden ist ein außdrucklich befehl/und Gesetz/daß solche wiewol sie geschickt/und beredet seyn/doch nicht zum Regiment/und Richterlichen Ampt sollen fürgezogen werden. Darüber die Alten Teutschen steiff/und standhafft gehalten. add. Sichard. *Tom. 2. rerum Germ.* Zenoc. *l. 5. de Republ. & vita Caroli V.* Qui Carolus, quanquam Germano ex sanguine, nihilominus in Germania (nempe in Belgio) natus & educatus est, proculdubio propterea, ne ipsi in Electione objici possit se esse natione Hispanum.

Principes Imperii etiam extranei possunt fieri.

LXX. Principes autem & status Imperii fieri possunt etiam exteri. Exempla in aprico sunt de principibus Eggenberg, Löbkewitz, Picolomini &c. vid. subscriptio novissima R. I. de An. 1654. item in Regibus Suediæ Pacif. Osnabr: *art. 10. §. 4.* modo sufficientia bona sive mediata, sive immediata sub imperio possideant, de quo Juris Publ. Doct. latius tractant.

LXXI. Cæterum in Imperio nostro in Universum

hoc

hoc jure utimur, ut omnibus officijs Imperij, tam in aula Cæsaris, quam alibi indigenæ Germani præponi debeant quod in *Capit. Caroli V. art. 13.* (ibique in addit: Limnæus) sancitum hisce verbis: Wir sollen und wollen auch unsere Königliche / und Reichs Ampter / und sonsten am Reiche / wie in gleichen unseren Krieges Raht / und hohe Kriges officia mit keiner andern Nation als Gebornen Teutschen besetzen und versehen. Hinc primò in Camera Imperiali nemo nisi Germanus præ & assidere potest, *O. C. de anno 1495. §. 1. R. I. de Anno 1548. §. 23. & 24.* Verbesserte Käyserliche C. O. *de anno 1555. p. 1. §. 1. & p. 3. §. 1. & 2.* quod etiam novissime in O. C. Ferdinandi 3. *de anno 1654. d. 16. Martij* confirmatum *tit. 1. ibi* So im Reiche Teutscher nation gebohren / erzogen / und auch der Teutschen sprache &c. add. Passauische vertrag §. demnach soll. Officiales Imperii debent esse Germani tam in Civilibus.

LXXII. Deinde, quod negotia bellica attinet, Exercitus Dux, & Capitanei militares debent esse Teutones Originarij, juxta R. I. de *anno 1521.* §. Demselben Volck. & R. I. *d. anno 1542.* §. aber alle. Consul: omnino Limn. *in annot. ad all. art. 13.* & in Capit. Ferdinandi III. *art. XV.* hoc est confirmatum, quod nempe Imperator non possit pro suo arbitrio in bellicis expeditionibus, quæ Imperii nomine suscipiuntur, majora officia concedere cui velit, sed quod Statuum consensus in hoc requiratur, qui vel ipsi eligunt vel nominant nonnullos & Imperatori optionem relinquunt; vel totum negotium Imperatoris dispositioni submittunt, hac, tamen clausula, ut constituat Duces & Capitaneos ex Germanis, v. *R. I.* Aug Vind. *de anna 1530.* § und damit solch R. I. *Spiræ de anno 1542.* §. alß nun & *seqq. item d. anno 1541. Ratisb.* § und dieweil unß vid. etiam *R. I. d. anno 1598.* §. und demnach. & *d. anno 1566.* §. Nachdem ferner. quam in militaribus.

LXXIII. Et certè non ſine ratione articulum hunc de non admittendis extraneis Capitulationi Cæſareæ & tot Receſſibus Imperij inſerere Sereniſſimis noſtri Imperij proceribus viſum fuit; non ignorantibus, quanta utilitas, quantumque commodum Reipublicæ ex Indigenarum promotione naſceretur, qui & amore Patriæ & morum, jurimve loci longè præcellere exiſtimantur, *arg. l. 101. ff. de Legat, 3. l. 17. §. 4. ff. ad municip.*

LXXIV. Quapropter etiam quod generaliter in allegatis legibus Imperij conſtitutum, ferè ſinguli Regni Germanici ſtatus in ſuis territoriis ſpeciali aliqua ordinatione ſive lege provinciali introduxerunt.

In Saxonia. LXXV. Nam 1. in Electoratu Saxoniæ Ordinatio Eccleſiaſtica Indigenarum filios præ forenſibus ad munera Eccleſiaſtica promoveri jubet, in articulo generali 1. Von der Ordination §. wollen wir hiemit. vid. Carpz. *in Jurispr: Conſiſt. lib: 1. Def. 25.* 2. In Marchia Brand. tam in Eccleſiaſticis quam aliis functionibus præhabentur, ut teſtatur. Scheplitz. *ad conſuetud. Elector. & Marck. Brandenb. part. 1. t. 11. l. 8. p. 6.* 3. In Ducatu Pomeraniæ etiam ſpecialis Lex fuit, quæ lata *anno 1560. die IX. Febr.*

In Marchia Brandeb.

In Pomerania.

In Ducatu Br. & Luneburg.

LXXVI. Nec ultimi fuerunt in hoc jure conſtituendo noſtrorum Sereniſſimorum Principum Parentes Duces Brunſv. & Luneb. excelſæ recordationis. Qui in ſingulari Receſſu provinciali præclarè conſtituerunt, quod Indigenæ ex Ducatu Brunſv. & Luneb. regulariter ad officia præ exteris evehi debeant: hujus Receſſus verba: *de Anno 1601.* ita ſonant, Zum acht und dreiſſigſten. Wen die Landkinder in ehren und Tugenden auff Univerſitäten / bey Hofe / in rühmlichen Kriegeszügen / Haußhaltungen / und andern ehrbahren händeln wohl geübt / und alſo qualificirt ſeyn / daß ſie mit Ruhm und Nu-

hen zugebrauchen / auch S. F. G. treulich meinen / daß alßdan der gnädige Landes Fürst so wol bey Hoff und Haußhaltungs / Geistlichen und Weldlichen geheimen und gemeinen Sachen nach jedes befindung vor frömbden und außländischen / so viel sich immer füglich schicken will / zu hohen und niedrigen Amptern und Diensten zubefodern geneigt / dafür hat die getreue Landschafft billig in aller unterthänigkeit zu dancken / und die Jugend also aufzuerziehen / daß sie solches milden erbietens in Werck geniessen mügen.

LXXVII. Quod etiam hactenus sanctè observatum, nisi interdum viri virtute, Nobilitate atque Experiéntia præcellentes Indigenisque idoneores, his magno cum Reipublicæ nostræ commodo ac ornamento præpositi fuerint.

LXXIIX. Eodem ferè modo in jure municipali Ducatus Würtembergici dispositum invenitur *t. 6. p. 1.* Daß in bestellung der Stadt / und Amptschreibereien fürnehmlich nach den Landkindern getrachtet werden solle: quod etiam de aliis officiis vigore der Landtages Abscheide intelligendum Speidel. *in notab. Iuridico-historico polit. l. f. n. 36.* In Ducatu Wurtemb.

LXXIX. Id ipsum religiosissimè observatur in multis Imperij aliis Ducatibus, Comitatibus ut apud Holsatos, Ostfrisios, Ditmarsos, Urbibusque, ut Argentorati, Norinbergæ, Augustæ vind. Francofurti, Magdeburgi, Hamburgi &c. de quorum tamen specialibus statutis mihi non constat. Testes sunt Antimach. *lib. 1. Theol. 3. p. 157. & seqq.* Gisebertus *in peric. statut. art. 4. n. 65. & seqq. & n. 78.* Zahn *de jure munis.* Carpan. *ad statuta Mediolan. t. 414.* In variis Ducatibus, Comitalibus, urbibusque.

LXXX. Præ cœteris omnibus extra Imperium rigidissimi hujus juris Indigenatus observatores sunt Sveci; qui juramento obligant Regni Gubernatores, antequam coronantur, se Imperij ac principatus consiliis solos Indigenas In Svecia

nol.

nullo exterorum habito respectu præposituros. Quapropter, cum aliquando Ericus Rex Germanum Cancellarium Regium constituisset, à nobilitate Svec. ex suo Palatio & se de regia in carcerem conjectus, & multos per annos in Senectutem usque detentus: Dav. Chytr. *Saxon. lib. 30.* quod tamen hodie in quibusdam officiis vix adeò strictè observatur.

In Polonia.

LXXXI. Et Poloni hâc de causa post mortem Sigismundi Regis sui gravissimo Senatusconsulto constituerunt, ne peregrinorum quidam ad Senatum & consultationes admitteretur. Joh. Bodin *lib. 6. de Reg. l. 3. c. 1. & 5.* quod etiam Hungari fecerunt conf. Tholosan. *in Synt. I. U. lib. 17. c. 6. n. 42. c. 4. X. de postulat. prælatorum.*

Positio XX.

An indigenæ indistinctè sive sint nobiles sive ignobiles præferendi?

LXXXII. Olim quidẽ virtutis præmiũ fuit, ut illi magistratui administrando præponerentur, in quibus singularis virtus & prudentia extitit Tacit. *lib. 11. Ann. item Lib. 1. histor.* postea verò pro temporum ratione, & personarum conditione hæc variarunt. Sub principibus enim ad grandiora officia, grandiores adhibebantur Nobiles, ad minora plebei. Prout etiam hodie in Imperio nostro obtinet, plurima enim in eo reperiuntur officia, quibus soli Nobiles funguntur, quæ vocantur vulgò Adeliche dienste.

An semper præferendi, licet exteri sint idoneores, hi saltem mediocriter docti?

LXXXIII. Cæterum verò non desunt hujus juris strictissimi Interpretes, qui defendunt, si Indigena cũ extraneo concurrat, & hic idoneor, ille autem taliter qualiter sufficiens sit officio, nihilominus eo casu præferendum esse Indigenam: Adducunt rationes; quod multa incommoda & pericula ab exteris patriæ timenda sint. Et quod tale omnium exterorum ingenium esse soleat, ut ubi sunt, quam minimè sint, sed semper animum suum in Patriæ desiderio relinquant, ex quo, inquiunt, sæpissimè fit, ut etsi optimis conditionibus, maximisq;

misque ſtipendiis alligentur, nusquam tamen ferè ſtabili ſede permanere queant, ſed allecti opimiore fortuna locum cũ loco facillima quavis occaſione commutent. Iam verò nihil rebus communibus incommodius accidere poſſit, quam ſi ſubito ab officijs & muneribus recedant ij, quorum tum opera maximè ſit opus, nec quicquam Reipublicæ gravius, quam ſingulis annis & menſibus alium officiarium quærere, quod de Indigenis non facilè metuendum eſſet. Verum enim verò hoc quidem interdum, non tamen ſemper, neque ut plurimum verum eſt, quippe experientia teſtatur, quod homines virtutibus decorati ſæpè plus favoris experiantur apud exteros, quam in Patria ſua (raro enim vir doctus in patria ſua honoratur, nec magno favore in ea gaudet ait Dn. Brunnem, *in tr. de Iure Peregrinorum.*) Idcircò quoniam negliguntur, alibi fortunam quærere coguntur, & poſtquam ibi domicilia ſua, atque maximam partem rerum fortunarumque collocaverunt, & inſuper in majori exiſtimatione, quam in patria ſunt, non facilè mutare ſolent, nec amplius de patria ſolliciti ſunt. Concludo ergo quod interdum habiliores exteri Indigenis non ita idoneis ſint præferendi. Modò non expreſsè ſtatuto cautum ſit, quod neceſſariò ad illa officia Indigenæ evehi debeant, etiamſi non ita idonei exiſtimentur, vid. Kirchn. *de offic. & dign. Cancell. lib. 3.* Herm. Lather, *de cenſu c. 16. n. 140.* Et tum ſemper præponendi ſunt illi Indigenæ qui habiles i.e. cauſarum rerumque intelligentes æſtimantur, meritò enim tales virtutes cujuscunque eſſe debent, quales officium, quo fungitur, aut functurus eſt, poſtulat. Plutarch. *de educat. liberor.*

LXXXIV. Quod ſi autem tales perſonæ habiles in quadam Republica non reperiantur, neceſſitas rem eo perducit, ut etiam extranei aut Novelli Cives poſſint eligi & ad digni-

An non viri experientes & docti ideotis indigenis præferendi.

dignitates promoveri: Nam tum potius viros Peritos, ut sunt Doctores, Jurisconsulti, & alii prudentes, etiamsi sint novelli Cives in Senatum assumere Civitatibus conducit, quàm imperitis & Ideotis Indigenis Reipublicæ administrationem tantum committere, qui Musarum osores, & propterea, ne eorum imperitia, & fœda ignorantia in vulgus prodeat, viros doctos, sibi adjungi nolunt, sed firmiter sibi persuasum habent, se esse felicissimos donec Respubl. â viris simplicibus exclusis & exterminatis omnibus eruditis gubernetur. Ast risum teneatis amici! inquit Dn. Zahn *tr. de jure Mun.* væ illis Civitatibus! palam est in toto terrarum orbe, jura perire in tali Republ. & pedetentim omnia privilegia; ratio, quia Custodes eorum sunt imperiti, à peritis autem legum causæ sunt dijudicandæ & defendendæ, *arg. Nov. 8. pr.*

Respondetur ad leges & rationes contrarias, quibus illi, qui negunt Indigenis competere hoc jus, utuntur.

Positio XXI.

LXXXV. Hactenus de jure constituto, quod indigenis circa prælationem in honoribus competit, dictum est. Iam porrò non extra propositi metam nos vagari arbitramur, si paululum hîc subsistêmus, & in contradicentium opiniones, rationesque inquiramus.

Resp: 1. ad Constitut quod nemo ejus provinciæ fiat Rector:

LXXXVI. Et quidem primò quod attinet constitutionem illam, sive sit Anastasij ut Cuj. existimat, sive Gratiani, Valent: & Theodosij, ut Perezius putat: Quod nempe nemo ejus Provinciæ fieri possit Rector, aut Præses, ex qua Originem duxit, vel in qua domicilium habet *Lib. 1. C. t. 41*: Sciendum, quod ille titulus in Authentico textu non inveniatur, & propterea etiam ex eo firmum argumentum deduci non possit, Dn. Brunem: in *Codic. ad h. tit.*

2. ad l. 5. ff & ad l. 10. C. de Assessoribus respondetur.

LXXXVII. Secundo huic juri valdè repugnare dicunt dissentientes *leg. 5. ff. & l. 10. C. de Assessoribus*, in quibus ex-

presse

presse prohibeatur, ne quis in sua provincia ultra quatuor menses officio Assessoris fungi debeat sine speciali permissu principis, *l. 38. quibus ex causis maj.* proculdubio eam ob caussam, ne cives civibus præfecti aut nimiâ uterentur indulgentia, aut veteris odij memores grassarentur *Paul. 5. sentent. t. 12.* Verùm quemadmodum ratio hæc parvi momenti, cum omnes judices & qui officio magisttatus funguntur, secundum æquitatem & præscriptas leges judicare teneantur, ita ut puram conscientiam, neglecto & posthabito omni favore & odio, conservent; ita etiam hæ leges admodum speciales, quæ de Assessoribus Præsidum loquuntur quorum officium consistebat in cognitionibus causarum postulationumque, item decretis edictisque judicum concipiendis, mutata jam Reipublicæ forma generaliter vim suam exercere nequeunt, Magnif. D. Tabor Patronus ac Fautor meus ætatem venerandus *in Anal. Thes. loc. Com. Lib. 4. 6. 41.* Neque obtinuerunt universaliter apud ipsos Romanos, uti patet *ex l. 6. ff. de Off. Assess.* juxta quam Consilio Curatoris Reipublicæ vir ejusdem civitatis assidere potuit, vid. ibi Godofr. *in not.* Brunneman. *ad l. 10.* Perez. *ad t. 41. & t. 51. L. 1. C. ibique in not.* Consult. atque Exc. Dn. Huldericum Eiben.

LXXXIIX. Simili modo nec speciales ordinationes Regiæ Philippi Pulchri & Caroli V. in Gallia (quibus constitutum erat ut omnes, qui jure dicendo præesse velint non Regnicolæ, sed extranei sint) consuetudinibus hodiernis ejusdem Regni, qua Originarij cœteris omnibus præferuntur, tam in Ecclesiasticis quam secularibus officiis quicquam derogari possunt, Chassanæus *in Catalogo Gloriæ mundi p. 11. Cons. 22.* Franz. Patricius *de instit. Reipubl. tit. quod tutius Cives quam peregrini imperent.*

LXXXIX. Et tantum de jure quod competit indigenis præ cœteris in functionibus obeundis, sequitur jus quod in Comitis habent.

POSITIO XXII.

(2) DE JURE INDIGENARUM IN COMITIIS.

In Comitiis indigenæ alicujus Regni sive Reipublicæ merito extraneis præponuntur.

XC. Alterum in quo prærogativam habent Indigenæ est jus comitiorum; Nemo enim facilè extraneus ad Comitia sive universalia sive particularia sint, vocatur, in quibus generaliter de salute Reipublicæ, specialiter de Bello & Pace, de ditionibus defendendis, de juribus conservandis ac multis aliis gravissimis de causis, quæ ad Reipublicæ emolumentum spectant deliberari solet. Etenim, quemadmodum Ius Gentium nos docet conventus inire, atque salutis publicæ curam communi firmare suffragio, sic cuique Lumen naturæ digito quasi ostendit, non esse consultum, admittere extraneos ad secretas consultationes deliberationesve Reipublicæ utilitates tantum concernentes.

Quando exteri in comitiis admittendi.

XCI. Interdum quidem necesse est, ut invitentur exteri ad comitia, veruntamen non protinus arcanis deliberationibus adhibendi, sed tantum communibus, quæ ad utriusque Regni commodum pertinent, e. g. quando de communi pace consulitur, de renovatione Pacis, item de amoliendis conspirationibus infidelium eorumque legis contra Ecclesiam Christianam &c:

POSITIO XXIII.

Apud Romanos, quinam vocati sunt ad Comitia,

XCII. Nemo ergo non ex subditis apud Romanos ad comitia vocabatur, nam aucta Civitate Romulus populum in triginta divisit partes, easque curias vocavit propterea, quod tunc Reipublicæ cura per sententiam partium earum expediebatur *l. 2 § 2. ff. de Orig. Iur.* Postea verò Populus in tribus & Centurias distingui cœpit, hinc triplex

facta

facta est Comitiorum forma. 1. erant Tributa in quibus ex omnibus Tribubus certus ad ferenda suffragia vocabatur numerus. 2. Curiata, in quibus Populi in Curias divisi sententia rogabatur, ut quod plures Curiæ statuissent, id jussum populi esse diceretur, Lælius Felix apud Agellium *lib.15.c.27.* 3. Centuriata in quibus populus per Classium centurias divisus suffragia ferebat, & quod plures centuriæ jusserant, id ratum habebatur *A. Gell. d.l.* In omnibus hisce comitiis non fuerunt admissi peregrini sed tantum Cives Romani, teste Livio *l.43.* & Rosin. *lib. VI. Antiqu. Rom. c, 4. 10. & 17.*

Positio XXIV.

Quinam in Imperio nostro vocantur ad Comitia.

XCIII. Sic quoque adhuc in Imperio nostro nemo nisi status Imperii, qui eminenter Cives sunt, jus sedendi & votandi in Comitiis habent. Qui autem in Statuum classibus reperiuntur, plerique sunt veri indigenæ, ut Genealogiæ Rhittershusij & Albizij testantur: Paucis exceptis, de quibus supra mentionem feci, qui eo ipso, dum in album seu matriculam imperij recepti, hoc jus sessuræ & dicendæ sententiæ in Imperij conventibus, non naturaliter statim ab origine quemadmodum Indigenæ habent, sed concessione summæ Majestatis acquisitum, atque sic jus indigenatus Civile adepti fuerunt.

Quidam status Imperii regulariter non vocantur ad Comitia:

XCIV. Alij quanquam Status & Principes Imperij sunt, quia non comprehenduntur in decem circulis Imper. Germ. regulariter ad Comitia non vocantur.

Num Rex Bohemiæ citandus?

XCV. Nec ipse Rex Bohemiæ iis Comitiis in quibus nihil, quod Bohemiam attingit, sed tantum Imperium exclusâ Bohemia, communi ferè Jurispubl. Doctorum voto interesse potuit, Lampad. *p. 3. c. 8. ibique in Prælectionibus publicis* Clarissimus Dn. Herm. Conringius, Arumæus *de Comit.*

mit.c.2. & *4.c.5.n.32.* & *seqq.* Dn. Carpz. *in tr. de Lege Reg. c.5. sect.5.n.9.sect.8.* & *9.n.9.ac seqq.* Marq. Freher: *in not. ad* Petr. de Andlo *l.2.c.2.* Cæpit quidem sæpissimè locum in talibus comitiis affectare, facilè tamen apparuit, cum summa Imperii Ordinum injuria fore conjunctum, si Bohemus admitteretur ad consultanda illa & decidenda, quibus ipse nollet teneri: vid. Arumæus *d.l. n.31.* & *in c.4.n.2.*

Num Ratzevilius in Litvania, & Transylvanus?

XCVI. Ratzevilius in Litvania, & Transylvanus, quamvis se Imperij Principes vocant: nec non Dux Mantuæ, Marchio Montisferrati, & Dux Mutinæ, licet citra dubium Vasalli Imperij sint, nihilominus tamen ad comitia in Germania non vocantur: add. Arum; *in d. tract. à n.75. usque ad num. 82.*

In Ostfrisia excluduntur extranei.

XCVII. In Frisia orientali expresso statuto cautum est: das keine aus dem drütten Stande auff Landtagen compariren sollen / die nicht ehrliche vernünfftige und eingebohrne in den Kirchspielen / auch erblich gesessen seyn: sunt verba des Nordischen Landschlusses *de Anno 1620.* §. belangend die qualification.

XCIIX. Idem procul dubio in aliis Imperij territoriis, & extra Imperium in Regionibus Galliæ, Hispaniæ, Sveciæ, Poloniæ, aliisque specialiter constitutum, verum nobis nec mens nec vires sunt omnia statuta, omnesque consuetudines hîc recensere, notoria enim est illarum variatio.

Positio XXV.

DE JURIBUS INDIGENARUM PRIVATIS.

XCIX. Consideratis juribus quoad Personas publicis, jam porrò properandum ad jura Indigenatum privata. Hæc interdum communia habent cum reliquis Civitatibus, interdum propria exclusis novellis Civibus, pro cu-

cujusque loci consuetudine & observantia. Eademq; vel jura personarum concernunt vel jura circa rem.

C. Sicuti in muneribus atque Comitiis, ita etiam in singularibus *Beneficiis* præponuntur Indigenæ exteris, secundum Jus Canonicum pariter (*c. nullus invitis dist. 61. & dist. 71.*) ac hodiernam observantiam. Primò in Ecclesiis Cathedralibus in hohen Domstifften Indigenæ Nobiles qui Canonicatum adipisci contendunt, præferuntur exteris, Draco *de Patric. p. 290.* 2. In Canonicatibus, si modò literis operam dederunt, aut alias ecclesiæ & proximis servire possint: videantur Theologi & ICti *in Consiliis apud Georgium Dedeken. in append. ad Loc. de ministerio sec. 2.* Von den Thumherren / Balduin. *de Casib. Consc. Lib. 4. Cas. 3.* Brünner: *de collat. benefic. c. 4.* Paul Zypæ *in Analysi juris Pontific. lib. 3.* Num in conferendis beneficiis potior indigenarum ratio sit habenda quam extraneorũ? 1. In den hohen Domstifften. 2. in Canonicatibus.

CI. Tertiò *Stipendia* præ omnibus extraneis dantur indigenis non tantum militantibus in Gymnasiis illustribus (de quibus fidem facit Luneburgicum & Saxonicum, vid. omnia synodale decretum Sax: *p. 4.* §. Gleichwie wir auch unsere Stipendiaten und Landkinder vor andern gleich uns in acht nehmen wollen. Carpz. *Jp. Consist. l. 1. def. 25.*) sed etiam in Academiis. Nec certè sine ingenti Reipublicæ ac Ecclesiæ commodo Illustrissimi nostri Principes, de quorum munificentia & liberalitate erga literarum studia, earumque cultores fidem facit uberrimam nostra Julia, hanc ordinationem instituerunt, ut iis indigenis, quibus fortè inopia accedat, stipendiis occurratur. *jung. Constit. de Anno 1636.* Gloriosissimi Principis Georgii Duc. Br. & Luneb. Et sanè hoc remedio sæpissimè optima ingenia excoluntur, quæ ad magnam frugem pervenire & Patriæ prodesse possunt. 3. in Stipendiis.

CII. Idemque non tantum in nostro Imperio sed etiam in aliis benè constitutis Rebuspublicis observatur: nam Quod etiam in Gallia obtinet.

in

in Gallia nemini beneficium confertur, nisi sit Regnicola, seu jus Regnicolæ impetraverit, alienigena enim est planè incapax beneficiorum, quare impetrata etiam beneficia ab extraneis rursus ab indigenis impetrari possunt, quemadmodum apparet ex constitut. Ludovici XII. de qua mentionem facit Rebuff. *in tr. de Pacif. Possess. n. 217. & in p. 3. pract. benef. in Reg. idiomate.*

4. Eleemosinæ indigenis egentibus præ alienigenis sunt dandæ.

CIII. Quartò *eleemosinæ* Indigenis pauperibus præ extraneis sunt dandæ; & quamvis sit generale præceptum: Frange panem tuum esurienti &c. *Esaiæ 58. v. 7.* Tamen ex speciali ipsius Dei T. O. M. lege constat, quod primariò Indigenis sit succurrendum *Deut. 15. v. 4*: quo cum convenit *l. 2. C. de Annon. Civil.* vid. Lucas de Penna *in d. Leg.* Dn. Brunnem. Interim tamen non dixerim, quod exteris eleemosinæ planè non debeant conferri, quoniam id tam lex divina quã humana jubent præprimis si calamitatis suæ testimoniis instructi veniant, *Ord. Polit. de Anno 1677. 627.*

quod probatur ex jure Divino & ex jure posito

CIV. Ex sententia tamen Politicorum salubrius esse videtur cuicunque Reipublicæ, ut suos tantum alerent pauperes Indigenas, tum enim multis Mendicantibus otiosis industriæ invidentibus & validis (qui vulgò vovantur Land-streicher) præriperetur occasio delinquendi: nam quòt mala, quot infortunia ex illorum consortio nascantur, nemini facilè incognitum erit. Leg. *Const. Crim. Car. a. 39. v.* desgleichen. *item Reformationem* guter Policey *de anno 1548. p. 373. t.* Von Betlern und Müssiggängern. *t. t. C. de Mend. val. ibique DD.* & præ omnibus Dn. Fritzium *de Mend. validis.* Dn. Carpz. *L. 2. JP. Ecclef. d. 324.*

Ex Ordinationibus Ducum Brunsvic. & Luneburg.

CV. Hinc quoque in hisce regionibus Serenissimus & Celsissimus Dux Augustus specialem aliquam ordinationem facere non dubitavit, quæ vocatur Hospital und Armen

Ordnung

Ordnung/in qua statim sub initio salutariter constitutum est ita: Vnd sollen die in das Armenhauß auffgenommene Armen zuförderst allzumahl hiesigen Ortes/Bürger und Bürgerkinder seyn/oder doch auß unseren Landen/und unser Vnterthanen Kinder. Id ipsum quoque in statutis& Ordinationibus der Heinrichstadt *sub tit.* Von Betlern repetitur. Nec non expressè ita dispositum *in Ord. Polit.* Luneb. à Plurimum Rever. ac Celsissimo Principe Christiano D. B.& L. *exc. mem. c. 9. Anno 1618. & in Recessu Gandersh. de Anno 1601. a. 22.*

CVI. Restant quidem adhuc varia Personarum jura, quibus apud Romanos Indigenæ gavisi sunt, ut: Ius Patriæ potestatis, quod soli cives Romani in filios habebant, §. *2. l. de Pat. Pot.* 2. Ius Patronatus, *l. 10. §. 6. ff. dum in jus voc.* 3. Verberibus cedi, aut in crucem agi, aut sine jussu Populi in Originarios animadverti fas non erat, *Act. Apost. c. 22.* (4) Prætextâ, togâ, & prænominibus utebantur, quod peregrinis non erat, licitum (5) in Legionibus non alij quam cives militabant, &c. Verùm quoniam hodie hæc nullum ferè habeant usum, ideò paucis ea attigisse sufficiat. Videri tamen possunt de illis Barnabas Brisson. *Lib. 1, Antiq. cap. 13.* Macrob. *1. Satur. 6. & alij.* De variis juribus quibus Indigenæ fuebantur apud Romanos.

Positio XXVI.
DE JURIBUS IN RE.

CVII. Hactenus de juribus personarum tam publicis quàm privatis dictum, jam itaque ob receptam dispositionem ad jura Rerum progressum faciemus, quæ vel in Re vel ad Rem.

CIIX. Ad Ius in Re primùm refero *Ius Albinagij*, quô tantùm Indigenis licet testari, Albini autem carent jure testamenti faciendi, vivunt ut liberi moriuntur ut servi, dum eo- De Jure Albinagii.

rum hæreditates ſtatim poſtquam diem objerunt Fiſco cedunt, ſive hæredem ſuum habeant ſive non.

CIX. Et quidem hoc jus non auctoritate Iuris Civilis nititur, quod Civibus tantùm permittebat teſtari de bonis ſuis, *l. 1. ff. ad Leg. Falc. l. 8 l. 12. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Vaſqu. *de Succeſſ. lib. 11. §. 1. 0. 124. & ſeqq* Sed Gallorum ſanctione & uſu. Quippe Jure Rom. per conſtitutionem Friderici II. *in Auth. omnes peregrin. C. commun. de Succeſſ.* hoc abrogatum eſt. In Gallia autem adhuc hodie ſanctè obſervatur, quum Albinatis prohibitum de bonis acquiſitis in Regno diſponere: Niſi ſingulari ex conceſſione Regis id ipſis permittatur, quam literis Naturalitatis, ut vocant, ab eo obtentis conſequuntur, & tum confeſtim affiliati, ſeu, ut ipſi loquuntur, naturalizati fiut.

Excipiuntur 1. extranei naturalizati.

CX. Secundò non ſunt ſubjecti juri Albinagij qui privilegia Civitatis Gallicanæ habent, ut ſunt Hollandi, Brabandi, Flandri, quique per pacem Matricenſem Albinatu exempti, Petr. Georg. Tholoſan. *ſynt. I. U. l. c. 12. n. 8. & 9. l. 42. c. 8. n. 24.* Chriſtianæus *in Deciſ. Belg. lib. 6. t. 58. dec. 228.* Inter hos etiam recenſentur Incolæ Civitatum Tholoſanæ & Burdegal. qui ex ſpeciali gratia Ludovici Regis Franciæ hujus nominis XI privilegio gaudent, quô omnibus & ſingulis in ijs habitantibus permittitur de bonis ſuis ſine literis Naturalitatis diſponere, ut teſtantur Chaſſian. *ad conſv. Burg. ſ. 94. n. 37.* Buchnon *des Loix abroges en toutes les Cours du Royaume de France l. 2. n. 183.* & omninò Jean Bacquet. *en traicté du droict d'aubeine chap. 7. Liv. 1. ibi. a La Loy d'aubeine ſont exempt meſmes, qui par privilege &c.* Ubi in ſequentibus capitulis docet quinam ſint Albinatu exempti, quinam non; Inter illos recenſet les Suiſſes & Portugais demeuranc en France, *& auſſi les habitans de Cambray, & Avignon, Les Ambaſſadeurs eſtans en France chap. 12. liv 1. Mais l'eſtranger, qu'il ſoit marié en France, & y ait*

2. qui ſingulari privilegio gaudet

3. Svitzeri, Portugalli & Legati commorantes in Gallia excipiuntur.

y ait longement demeurè est subject à la Loy d' aubeine chap. 11. L' estranger, ostage, messager, ou un simple passager est subject aux droict d' aubeine chap. 12. Les estrangers aussi, qui soient Docteurs, ou Escoliers estudians es Universitez de France, sont subjects au droit d' aubeine.

CXI. Alienigena autem, qui uxorem duxit Indigenam, & liberos ex ea legitimos habet, & natos in Regno & prӕterea in eo residentes, liberam disponendi habent facultatem, unũ autem absque altero non sufficit. Johan. Papon. *in Corp. juris Franc. l. 5. t. 2. Arrest. 2.*

CXII. Nec adeò strictè interpretanda hæc Lex, quasi omnes qui de suis bonis in Regno Franciæ acquisitis testari & sine literis naturalitatis succedere velint, necessariò in Regno nasci deberent, sed sufficit si modò parentes, vel Avi. Indigenæ fuerint, licet filij seu nepotes extra Regnum nati sint; Boerius *in Decis. Burd. decis. 13.*

CXIII. Hoc quoque in casu, si extraneus, qui in Regno quædam bona acquisivit, resideat extra regnum, heredes suos in dictis bonis successores habet, quia hujusmodi acquisitio non sit facta ex pretio in Regno quæsito, Ioh. Papon. *d. l.*

CXIV. Nec desunt inter ipsos juris Francici Doctores, qui asserunt, quod ex speciali constitutione, super prædicto Albinatu, liberi legitimi, & descendentes ex directa linea nati, & commorantes in Francia Patri suo, avo, aut alteri ascendenti in linea directa succedere possint, etiamsi peregrini, & jure civitatis non sint donati: Probant hoc ex arresto quodam Parisiensi *de anno 1515. d. 23. Febr.* Papon. *d. l.* Quicquid tamen sit, nisi probetur hanc constitutionem esse ab ipso Rege confirmatam, ei nullam autoritatem tribuo. Nam solus Rex privativè exclusis omnibus merum imperium habentibus peregrinis succedit, & ea propter hoc jus succedendi inter Rega-

lia majora numeratur in Gallia. Ex quo facilè colligi potest, quod nemo sine ipsius expresso consensu Albinatu eximi queat, sed rescriptum à Rege impetrare teneatur, Bacquet. *en tr. du droict d'Aubeine l.1.c.4.ibi: a Roy seul appertient le droict d'aubeine: pourquoy il a estè introduit en France &c.*

CXV. Et quanquam hoc jus aliquam iniquitatem præ se ferre videatur, propter rationes quibus à Doctoribus nostris communiter impugnatur (quare etiam teste Hugone Grotio *l.2.c.6.n.14.de I.B. & P.* apud moratiores gentes exolevit, quæ antea eô usi fuerunt) nihilominus tamen Galli quotidie illud, quia ex lege venit, observant, vid. Limn. *ad art.13. Capit. Carol. n.22. & seqq.*

CXVI. Interim tamen cuicunque iure Talionis seu retorsionis erga Gallos uti licitum erit, quis enim aspernabitur idem jus sibi dici quod ipse alijs dixit, *l.1.pr.ff. quod quisque juris in alt. stat. Exod.21. & Lev.24. add.* Hartm. Pistor. *Obs.43.*

CXVII. Restant quidem adhuc alia jura in Re, quibus Indigenæ interdum præ cœteris solent uti, ut sunt: *Ius Pascendi*, de quo Cœpolla *de Serv. Præd. Rust.* Berlich. *2. Conclus.49.* Carpz. *in I. P. F. p. 2. Const. 69.* (2) *ius Lignandi* de quo Matth. Wesenb. *Cons.69. Fachin. 1. Cons.54, &c.* (3.) *Ius Piscandi*, Rosenthal *de Feud. cap.5. concl. 23.* Sixtin. *de Regal. c. 18.* Bocer. *de Regal.* (4.) *Ius Venandi*, de quo Georg. Mohr *in tr. de Iure Venandi*, Besold. *in Thes. Pract. voc.* Jagen/ Andr. Knichen *de Saxon. non prov. jure n.169.* Speidel *in Spec. voc.* Frembden *n.91 v.1. prærogativæ.*

de Iure Pascendi.

de Iure Lignandi.

De Iure Venandi & Piscandi.

CXIIX. Quoniam autem ex abundante de hisce allegati Autores tractaverunt, & mei instituti non est omnia illa latè sub disputationis incudem revocare, ideoque B. L. ad illos Autores remitto.

CXIX. Verùm possit hîc objici, quod jus venandi & piscandi omnibus indistinctè de I. N. & Gent. competat, &

quod ferarum bestiarum tam in proprio quam alieno fundo, & piscium tam in mari quam in fluminibus dominus sit occupans, & propterea ante occupationem sit nullius, neque indigenis, aut alijs, tanquam jus in Re constitutum possit tribui. Sed respondeo exploratum esse, quod ex communi Germaniæ consvetudine hodie potestas Venandi & Piscandi solis Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & alijs, qui eam vel speciali ex privilegio, aut alia ex justa causa habent (inter qnos Indigenæ sunt) sit relicta.

CXX. Num autem jure cœteris adimi possit facultas Venandi, & piscandi, an non? multi ac magni nominis Theologi, ICti, & Politici in dubium vocant, sed salva horum autoritate, eorum sententiam amplector, qui putant, Principes optimo jure prohibuisse venationes & piscationes scilicet jure superioritatis & publicæ utilitatis causa, quæ non raro commodis privatorũ præponderat, *arg. l. 1. ff. de Usucap.* Deinde probat hanc sententiam præter dictam communem Germanorum consuetudinem Constit. Friderici in usibus Feud. *2. F. 27. & 2. Feud. 56. ubi* §. si quis Rusticus ibi: *nemo retia tendat, aut laqueos, aut quælibet instrumenta ad capiendas venationes, nisi ad ursos, apros, vel lupos capiendos; jung. l. unic. C. de Venat. ferar. C. A. de A. R. D. th. 14. n. 3. th. 12. n. 1. & 3.* Et cum per occupationem, detentionem & prohibitionem aliorum, ipsum solum, quod primitus commune ubique fuit, quorundam postea factum est; *l. 5. ff. d. l. & 1. l. 6. de Rer. div. l. 13. de A. R. D. l. 3. ne quid in loc. publ.* Cur non etiam jus venandi & piscandi? id quod pluribus argumentis deducit Bocer. *class. 5. disp. 3. th. 18. per tot.*

Num Domini territoriorũ hæc jura coarctare, subditis adimere, & occupando, alios prohibendo, sibi acquirere justè potuerint. Piscationũ reditus Regalibus annumerantur.

CXXI. Et sanè, quemadmodum omnis libera Respublica liberam formam regiminis sibi eligere potest, quam voluerit, ita etiam sibi & publico fisco certos reditus reservare

poteſt pro lubitu, Limn. *in diſſert. apologet. de ſtatu Imp. Rom. Germ. ſect. 6. n. 4.*

CXXII. Militat quoque pro hac ſententia communis favor & utilitas Reipnblicæ: Etenim, præ nimia venandi & piſcandi dulcedine ab agricultura alijsque vocationis ſuæ officiis, facilè abducerentur homines; quibus tamen civitates & populi magnoperè juvantur, & conſervantur, Auth. agricultores *C. quæ res pign. l. 1. pr. de ſer. C. I. A. de A. R. D. theſ 13.* Nec obſtat. quod de juris divini *Geneſi c. 1 v. 26. 28. & c. 9. v. 23.* aut gentium (ex quo jus venandi deducitur *§. 12. Inſt. de R. Div.*) immutabilitate allegatur; neque enim venatio omnibus prohibita, ſed tantum reſpectu certarum perſonarum reſtricta eſt, quod per jus Civile fieri poteſt: *l. 6. ff. de I. & I. Coll. Iurid. Argent. ſupra cit. tit. th. 12. n. 2. & 3.* Harprecht *ad d. §. 12. I. de R. D. n. 100. & mult. ſeqq.*

Positio XXVII.
DE PRÆROGATIVA INDIGENARVM IN SUCCESSIONE RERUM FEUDALIUM.

CXXIII. Quanquam dominus feudi, exſpirante jure, quod deſcendentes & collaterales in rebus feudalibus habent, cuicunque benemerito, illud de novo concedere poſſit, prærogativam tamen Originariorum in inveſtitura novi feudi multis & magnis niti rationibus, præſertim in politicis indubium eſt. Etenim Civitatibus valdè utilis & gratioſa eſt forenſium excluſio, quamdiu indigenæ benemeriti adſunt, cui Deus ipſe rationem ſubjicit: ne prædia gentilia diſtrahantur. *Num. 27. & 36. Ioſuæ 17.* Cum itaque Lex divina propter hanc rationem æquationem repudiet, ſemotis à ſucceſſione fœminis, quæ tamen ex eodem ſanguine fuerunt, multò magis voluit excludi forenſes ſive homines

alte-

alterius gentis. Quare etiam Serenisſ. ac Celſiſſ. Princeps Henricus Julius Dux Br: & Luneb. excellæ memoriæ talem conſtitutionem in provinciis ſuis fecit. Fürs ein und virzigſte/ hat viel hochgedachter Fürſt / Herzog Heinrich Julius zu Braunſweig/ &c. der heimgefallenen Adelichen Lehn halber ſich in gnaden dahin vernehmen laſſen. Ob wol S. F. G. dieſelbigen wolverdienten Leuten/ die eines erbahren beſtendigen/auffrichtigen Gemühtes ſeyn/ nach wie vor/ nach ſeiner F. G. gnädigem wolgefallen / von newen wieder zuverleihen ſich kein Ziel noch Maß vorſchreiben laſſen kan / daß doch ſeine F. Gn. die eingeſeſſene vom Adel/ wen ſie/ wie bey dem 38 Hauptpunckt erwänet / genugſahm qualificiret ſeyn / und ſich in rühmlichen und nützlichen ſachen / mit beharlichen getreuwen Dienſten um S. F. Gn. und deroſelben Land und Leute wolverdienet machen werden / vor Fremden/ ſo dero gleichen nicht getahn/damit zubedenken / nicht ungeneiget / welches den die gehorſahme Landſchafft mit untertähniger danckſagung alſo angenommen. *Receſſ. Gandersh. de Anno 1601. art: 41.*

POSITIO XXIIX.
DE JURIBUS AD REM

CXXIV. Sequuntur contractus & jura ad Rem. Primò autem Statim nobis optimæ, ac pariter utiliſſimæ occurrunt quæſtiones: Utrum extranei Mercatores in Civitate mercaturæ gratia liberè admittendi, an non; & quatenus Indigenæ præ illis jure commmerciorum gaudeant?

XXV. Quod attinet primam, conſtat, illam jamdudum fuiſſe agitatam. Alii cum Platone *lib. 4. de LL.* & cum Græcis ex doctrina Sophorum acriter defendunt, quod extranei mercatores omnino non ſint recipiendi in civitatem nec tolerandi in Republica 1. ne boni Civitatis mores ab illis corrumperentur. (2) Ne Civitatibus ab his inſidiæ ſtruerent-

1. De jure Indigenarum in Cōmerciis.

ſtruerentur (3) Ne pecunia mercesque optimæ è Civitate exportarentur, & viciſſim merces ſupervacuæ atque luxurioſæ, non neceſſariæ inferrentur. (4) Ne rerum domeſticarum lucra & pretia deminuerentur, vel planè nulla redderentur, ſi quibuſcunque extraneis liberum daretur merces ſuas exponendi arbitrium, cum tamen per ſe æquum ſit, ut Cives in Civitate non minus atque oneribus, ſic etiam in privilegiis & favore peregrinis potiores habeantur *l. 2. C. de Off. Præt.* Mynſin. *Cent. 4. Obſ. 3. arg. l. 10. ff. de R. I.* Imò inter optimà recenſetur arcana politica, curare ut Cives diteſcant, & pecunia in territoriis maneat. (5) Huc etiam pertinet Arcadii & Honori ratio in *l. 4. C. de Commerc. & merc.* Ne arcana Regni ſcrutentur.

CXXVI. Alij autem cum Ariſtotele probant, quod non adeò ſimpliciter Peregrinorum commercium ſit contemnendum; & reſpondent ad primam rationem Platonis; Mores & virtutes non naſci cum hominibus ſed fieri, & propterea etiam poſſe meliores effici & emendari. (2.) Dicunt: Naturam firmiſſimo quodam vinculo homines ad communem ſocietatem conſtrinxiſſe, & inter illos cognationem quandam introduxiſſe. *l. 3. ff. de I. & I.* non ut in partes diviſi in proprio commodo & lucris deliteſcerent, ſed ut amicabili ſocietate & harmonia mutuis beneficiorum commerciis ſeſe colerent. (3) Ne quid mali metuere poſſit Civitas, ſalutaribus legibus id avertendum eſſe, ſvadent Ariſt. *l. 7. Polit. 1. 6.* & Xenophon *lib. de Redit.* & tum, ſi quid boni proveniat ex peregrinorum commerciis, Civitas id bonum ſuſcipere poſſit, ſin aliquid mali, caveri facilè erit per leges jubentes, quos oporteat admittere mercatores, & quos non oporteat admittere merces: vid. Stypman. *de jure marit. lib. 1. c. 1. n. 28. & ſeqq.*

CXXIIX. Et quamvis hæ rationes pro defendenda Aristotelis sententia sint haud exigui momenti, nihilominus tamen & Platonis aliquo modo salvari potest, si intelligatur de Civitatibus, quæ planè absque exterorum negociationibus commodè vivere queunt, propter pericula, quæ ab exteris metuenda, & tum Philosophus ipse *L.7.c.6.Poli* dicit: egregium est non quærere externa, sed propriis esse contentum. Attamen cum rarò aut vix tales reperiantur Civitates, ideòque & nostrum calculum album in Urnam judicij summi Aristotelis inijcimus, & cum eò statuimus: Quod quidem forenses in civitatem sint recipiendi, ita tamen legibus circumscribendi, ne Civitati aut Civibus ullo modo nocere possint.

CXXIX. Qua de re Imperialis Lubeca legem condidit talem: Advena seu peregrinus bona mercesve suas in Civitatem translatas nemini nisi Civibus vendere debet. Quodsi verò eas deponere libuerit, non tamen extraneis divendere integrum erit, sed cum his in civitate commercari solis civibus liceat. Qui secus fecerit, convictus aut deprehensus pro qualitate delicti arbitrariè punitor. Iuxta hanc legem exteris quidem permissum est emere vendere, sed non nisi à Cive, & civi, cui hoc libertatis & privilegij civilis loco indultum est. Dn. Mevius *in comm.a.7.l.3.t.6.*

Vbi, & quatenus Indigenæ jus commerciorum præ extraneis fruuntur.

CXXX. Nec ibi exteris suas merces per Urbem apportare, aut exportare permissum: Es sol Frömbden nicht verlaubet seyn/ jhre Kauffmansgüter in die Stad zu Lande zubringen/ unnd hernach zu Schiffe an andere örter außzubringen: oder zu Wasser ein zubringen und an andere örter zu vertreibung handels und wandels zuschicken.

CXXXI. Sic per Ordinationem Polit: Ducatus Wurtenbergici prohibetur exteris omni tempore emere vende-

re, teste Lindenspur *in d. O. P. p. 128.* hisce verbis: das die Ausländischen Krämer bey verlust jhrer Wahr nicht zu feilen Kauff auff tuhn / es sey den an öffendlichen Wochen oder Jahrmarckten / doch daß sie die probirte Ellen / und Gewichte dieses Hertzochtuhmes gebrauchen / und gebührliches Standgelt reichen.

CXXXII. Idem in Constitutionibus der Chur Pfaltz / und anderer Fürstenthümer dispositum, vid. Paulus Negelin *Lib. 1. c. 10. fol. 81. tr.* vom Bürgerlichen Stande.

CXXXIII. Ex hisce jam facilè statui potest, ubi & quatenus Indigenæ jure commerciorum præ forensibus gaudeant, add: omnino Dn Marquardus *in tract. de Commercior. & Mercatorum jure Lib. 1. c. 12.* ubi latissimè de hac materia tractat, & ex ipsius Naturæ institutis, ex sincerorum populorum moribus, & ex sanioris rationis dictamine probat, quod semper in aliqua Republica potior Civium quam aliorum cura sit habenda.

CXXXIII. Huc etiam pertinent statuta illa, quæ prohibent exteris res immobiles vendi: & sanè non immeritò, tam in multis imperij nostri, quam aliarum Regionum Civitatibus, recepta ob publicam utilitatem & favorem civium, *L. dudum C. de Contr. empt. ibique* vid. Dn. Brunn. Dn. Mev. *ad Ius Lub. t. 2. a. 5. L. 1. n. 89.* Klock: *conf. 28. n. 431. vol. 1.* Surd. *Conf. 276. n. 8. & seqq:* ubi latè demonstrant DD. quænam nomine rerum immobilium veniant, quænam non.

De jure Retractus quod Indigenis præ exteris cõpetit.

POSITIO XXIX.
DE JURE INDIGENARUM IN JURE ΠΡΟΤΙΜΗ'ΣΕΩΣ.

CXXXIV. Commodè itaque ab hisce nos conferimus ad Jus Retractus sive προτιμήσεως exploraturi, an & quate-

quatenus Indigenæ cum reliquis Civibus præ extraneis hoc jure gaudeant? Et quanquam citra omne dubium affirmativa ſententia vera ſit, attamen hodie in ſingulis ferè Civitatibus ſpecialiter quid de hoc prælationis jure Statutum, ex quo judicandum, quomodo & quatenus cives prærogativam in emptione bonorum immobilium habebant.

CXXXV. Generaliter autem conſtat, quod Cives liberè hoc jure præ extraneis uti poſſint. 1. ex jure Divino *Num. 36. v. 9. Lib. Ruth. 4. v. 3.* Jerem. *c. 22. v. 7.* (2) ex Jure Canonico *c. conſtitutus 8. X. de in integrum reſtit.* (3) Ex Jure Civili *l. unc. C. non licere hab. metrocom. loca ſua ad extraneum transferre.* Huic legi non obſtat *Lex dudum 14. C. de Contrahend. emptione*, per quam planè abrogatur jus protimiſeos, ita tamen, niſi Lex ſpecialis ſive ſtatutum municipale aliud conſtituat, cujus exemplum eſt in *d. leg. un.* Hodie enim pene ubique in Imperio noſtro *Lex dudum* longa conſuetudine abolita, & jus retractus introductum eſt. Gail: *lib. 2 Obſ. 19. n. 1.* Tiraqu. *de Retract. lig. in præf. n. 1.* Koppen. *Deciſ. 52. n, 13.* (4) ex Jure Feudali *2. f. 26.* §. Titius *2. f. 3, § 1.* & denique (5) ex Jure Camerali teſte Gail. *d. lib. 2. O. 19.* & Aynſ. *Cent 3. O. 15.*

1. Probatur ex Iure Divino
2. ex Iure Canon
3. ex Iure Civili.
4. ex Iure Feud.
5 ex Iure Camerali.

CXXXV. Nec ſanè ſine rationibus hoc jus introductum, etenim publica utilitas efflagitat, ut bona in Civitate ſive communitate, & favor civium vult (quorum conſervatio ſemper in bona Republica attendenda) ut in familiis maneant, Exc. Dn. Præſes in *Obſ. ad tit. de Reſc. Vend.* quas hoc modo ſervari, & præferre extraneis nulla neceſſitudinis, aut communionis lege junctis naturali juri conveniens eſt. Lugubre enim & deplorandum foret, videre paternas & avitas domus & antiqua majorum præ-

dia in exterorũ pervenire manus *l. 21. C. de adminiſt. Tut* Ideoque certum eſt hocjus pendere ex ipſa æquitate.

CXXXVI Definitur à Dn. Præſide *d. tit. n. 6.* quod ſit jus prælationis certis perſonis competens, ad rem immobilem vel æquipollentem, per venditionis aut ſimilem contractum, æquali pretio inter definitum tempus redimendam.

CXXXVII. Et ita generaliter definitum commodè diſpeſci poteſt, in Conventionale & Legale. *Conventionale* eſt, quod ex pacto competit, quando emtori placet iterum rem vendere, tum jus potius præ alio quis ex Conventione habet, Dn. Struv. *ad tit. de L. Commiſſ.* §. *41.* Legale autem eſt ſive conſuetudinarium quod ſingulari jure certis perſonis tribuitur. Cujus ſpecies eſt Ius Retractus Territoriale, quod competit ex Statuto Civibus ad retrahendum rem territorij civitatis ſuæ forenſi & extraneo venditam. Et in hoc jure retractus potiſſimum Indigenis prærogativam tribuimus: conf. Bocer. *diſp. de Retract.* §. *9.* & *ſeq.*

Numne exteri agnati hoc Iure Stante ſtatuto uti poſſint?

CXXXIIX. Quando Statutum alicujus Civitatis expreſsè prohibet, *ne alicui extraneo liceat acquirere bona immobilia, acquiſita autem debere à Civibus retrahi*, tum utique omnes extranei etiamſi ſint agnati & conſanguinei excluduntur, quia ſtatutum loquitur tantum de ſubditis, agnati autem extranei non ſunt ſubditi: Ergo etiam hoc jure Indigenat: Territor: gaudere nequeunt, ſed tantum Civibus & indigenis hoc competit. Dn. Mev. *ad art. 5. t. 2. Lib. 1. n. 88.* Maſcard. *de gen. Stat: interpr. Concluſ. 6. n. 9.*

CXXXIX. Unde Civibus datur actio perſonalis in rem ſcripta adverſus emtorem extraneum aut ejus heredes, quâ alienationem rerum immobilium revocant. Gail *2. Obſ. 19. n. 8.* Hartm. *Hart. 22. Obſ. 4. n. 6. Matt. de Afflict. de jure Protimi. ad pr. Conſtit. Frid. n. 4. Tiraqq. de Retract. Conſerv.* §. *1. gl. 7.*

gl. 7. n: 47. uti latè demonstrant quomodo Actio hæc instituenda, ad quos Autores provoco, ne præter propositum crescat hæc dissertatio.

Positio XXIX.

DE JURE INDIGENARUM CIRCA SALINAS.

CXL. Tandem coronidis loco in parte hac speciali notandum venit, quod jus Salinarum in multis civitatibus indigenis proprium sit. Interdum autem illis competit ex contractu nominato, puta, ex emptione & venditione, & ita Salinarnm fodinas possident Cives seu oppidani Uffellenses in Westphalia, qui certo pretio sibi compararunt hoc à Domino territorij, Illustr. Comite ac Nobiliori Domino in Lippia &c.

Quidam ex contractu nominato jure Salinarum gaudent.

CXLI. Aliis quodammodo ex contractu innominato, sub præstatione certi quasi canonis, qui ferè est æstimatio materiæ ex qua sal coquitur, habita tamen ratione impensarum competit. Dn. Struv. *ad t. de Præsc. verb. §. 49.* & ita ab Archiepiscopis Magdeburgensibus salinæ earumque reditus civibus Hallensibus concessi sunt, hac lege, ut certam quodammodo quotam ex illis reditibus Archiepiscopis pendant, vulgo umb die Auslcuffe. Præterea ab Ernesto Archiep. *anno 1479.* expressa constitutione stabilitum, ut singuli ejus successores in Capitulatione jurare teneantur, se Salinas hasce mensales aliis quam civibus Hallensibus non concessuros. Petr. Heig. *Lib. 1, q. 14.* & Besold. *in Thes: Pract. in verb:* Saltzpfanne.

Quidam ex contractu innominato.

CXLII. Et aliis sub specie feudi improprij concessæ sunt salinarum fodinæ, ut Civibus Sulzensibus, uti apparet ex Recessu Sulcensi sub *l. B. p. 2. ibi:* Welcher Saltzbrunne mit seinen Gerechtigkeiten von dem Hauß W. zu Lehn gehet/de-

Quidam sub specie feudi improprii

rogestalt / das solches Jährlich auff den heiligen Christ Abend selbiger gnädigen Herrschafft fällig / und auff den Newen Jahrs tag hernach wiederumb von den Eltesten / im Nahmen der gantzen Geselschafft zu Lehn empfangen wird. &c.

An Ius Salinarum inter Regalia referendũ.

CXLIII. Dubitatio autem hic moveri possit ex *2. f. 57.* ubi salinæ & earum reditus inter Regalia referuntur, quare ad solum Principis fiscum pertineant, & non ad privatorum privatam utilitatem. Sed Respondemus quod quidem in statu Monarchico Principes sibi tantum jus in salinis publicis earumque reditibus constituerint, easque Publicanis elocaverint *arg. l. 13. de Publ. & Vectig. l. 11. C. de Vectigal. & Commiss.* quæ aliàs in statu populari juxta jus Gentium censerentur. Postquam verò Imperium ad Germanos pervenit, primum Electoribus, deinde Principibus aliisque statibus in suis territoriis ab Imperatore concessæ sunt, qua de re fidem facit uberrimam *A. B. t. 9.* qui inscribitur, von Golt / Silber / und andere Ertzwercken / ubi dicitur: das alle Gruben / Goldes und Silbers auch die Ertz / des Kupfers / Zinß / Bleys / Eisens / &c. auch Saltzes / das funden ist / und auch funden wird / die Churf. recht und redlich mögen besitzen / mit allen rechten gäntzlich nichts außgenommen. Ergo Imperatori tanquam Regale non reservatum jus salinarum. Nec Principes sibi id reservasse omnibus in confesso est.

Num Salinæ sint juris communis.

CXLIV. Secundum dubium faciunt *l. 1. §. f. de A. R. D. §. 1. I. de R. D. l. 2. & 3. eodem, l. 3. §. 1. ne quid in loco publico:* ex quibus text. patet, quod quæ in mari & sub cœlo capiantur, sint juris Communis: Jam verò Salinæ, dicunt, ex aqua marina multis laboribus coalescunt. Ergo etiam sunt Juris communis & per consequens non competit certis personis. Verum respondeo, multa olim fuisse communia,

munia, quæ tamen postmodum in dominium pervenerunt, & vi superioritatis territorialis propria facta sunt, uti supra in Posit. 26. n. 120. ostendimus.

CXLV. De privilegiis Patriciorum Luneburgensium, qui vulgò vocantur Saltzjunckern/circa Salinas jam pluribus agere supersedemus, nemini enim non constat quantam in illis prærogativam habeant.

FINIS Partis specialis.

PARS TERTIA ET ULTIMA DE JURIS INDIGENATUS OBTINENDI RATIONE VEL DE JUDICIIS IN CAUSIS INDIGENARUM.

POSITIO XXX.

CXLVI. Evolutis variis & potissimis juribus indigenarum, jam ex recepto Ordine recte ad tertiam & ultimam partem, quæ praxin seu processum quodammodo ostendet, accedimus. Et quoniam Leges sine observantia in Republica nullius sunt momenti, idcircò ne litigantes eas temerè transgrediantur, diligenter attendenda sunt media, quibus autoritas illarum justè conservari ac obtineri queat.

CXLVII. Consistunt autem media, quibus indigenæ jus suum obtinere possunt in actionibus, quorum beneficio aliquid ab alio petere, vel petentem submovere valent. Quibus mediis obtinent indigenæ jura sua?

CXLIIX. Actiones autem ex jure Indigenatus fluentes pro casuum varietate variæ sunt. Si quis autem has velit ad prima fundamenta revocare, dicendum est, quod vel ex jure personarum descendant vel ex jure rerum *arg. §. 1. 2. & seqq. junct. §. 13. I. de Action.* Actiones ex jure Indigenat. quotuplices?

CXLIX.

CXLIX. Jus perſonarum, quo de hic agitur, non eſt ex ſtatu Libertatis, aut Familiæ, ſed Civitatis, uti jam ſupra *Poſit. 6. num. 21.* annuimus, in hoc autem ſtatu liberi homines ſunt vel Cives vel peregrini, Cives iterum ſunt vel nati ſeu Originarij, vel facti ſeu aſſumpti. Inde ergò datur præjudicalis actio dicenti ſe indigenam eſſe contra id negantem.

CL. Et iſtæ verò & aliæ actiones vel ratione ipſius juris indigenatus competunt, vel ratione poſſeſſionis. Illa judicia petitoria vulgò vocantur, hæc poſſeſſoria. Ideòque qui aliquem non eſſe indigenam ſugillatione vel verborum jactatione animum inducit, conſtitutum in quaſi poſſeſſione juris indigenatus, *arg. l. f. ſi ingen. eſſe dicat:* conveniri poteſt *ex L. Diffamari C. de Ingen. manumiſſ.* Si autem nulla adſit diffamatio, de ſtatu controverſiam verenti indigenæ præſto eſt remedium *1. ſi contendat, de Fide juſſor.*

CLI. Porrò turbato in quaſi poſſeſſione Indigenatus etiam competere utile interdictum *uti poſſidetis* nulli dubitamus: HOC enim pro turbato in juris incorporalis tuitione comparatum eſt, §. *4. de interdict. l. f. uti poſſidet. l. 8. §. 5. Si ſerv. vindic. l. f. de Servit. c. licet cauſam X. de* Probat. Dejecto autem in promptu erunt *Interdictum unde vi*, §. *6. 1. de Interd. l. 1. pr. §. 1. 3. 4. de vi & vi arm.* aut etiam locupletiora juris Canonici *Remedia c. redintegranda 3. q. 1. & c. Sæpe 18. de reſtit. Spol.* nec non quæ alia pro Spoliatis jure inducta ſunt: *veluti c. 1, 2, 6, 7. eod.* quibus omnibus vim paſſis occurritur.

CLII. Petitoria judicia varij ſunt generis, pro ut cauſæ ex quibus oriuntur ſpecie differunt, diverſæque exiſtunt. Suntque vel Perſonalia, vel realia, *arg. §. 1. & ſeqq. I. de Act.* de quibus Menoch. *de Remed. retint. poſſ. c. 3.* Schneid. *ad §. æque. Inſt. de Act. ibique Dd. comm.*

Poſi-

Positio XXXI.

CL Judex coram quo hæ actiones instituendæ pro varietate casuum variat. Sic, si indigenæ tanquam subditi velint Principem suum convenire, quæritur an teneantur illum convenire coram Austregis, an verò coram consiliariis quibusdam deputatis. De quo diu altercatum in Cam. Imp. sed tandem decisum est, quod conveniendus sit coram Austregis, nisi Dominus probatum dederit, se ex consuetudine vel usu habere, quod tali casu talique modo coram suis consiliariis conveniri debeat, & quod electio penes Actores non sit. Mynsi. *cent. 4. Obs. 1. add.* omninò *Ord. Cam. Imper. part. 2. c. 4.* Ubi certa forma præscripta secundum quam processus à subditis contra dominum ordinandus & finiendus.

De judice competente.

Si contra Dominũ velint actionem instituere indigenæ, quis erit judex cõpetens?

CLIII. Verùm obstare videtur c. veniens de Præscriptionibus, ubi dicitur, quod Princeps de plenitudine potestatis privilegia indulta liberè revocare & tollere possit. Ergo nulla indigenis competere potest actio contrà illum. Sed respondeo 1. quemadmodum privilegia ex jure speciali proficiscentia indigenis non sine ratione & æquitate (quæ ornat Rempubl. atque conservat *Nov. 163.*) conceduntur; Sic quoque sine ulla omnino causa non sunt revocanda *1: F. 7. pr. 2.* Etiamsi de plenitudine potestatis ea tollere queat, vix ac ne vix tamen poterit, si in contractum transiverint, tunc enim obligatur Princeps per contractum initum cum indigenis subditis, & quia contractus sunt de jure Gentium, (quod est supra Principem) privilegia concessa per contractum revocare non potest: pactis enim & conventionibus ligatur Princeps. *L. donat. ff. de donat. inter vir. & uxor. Felin. in c. 1. de Probat. Bald. in c. 1. de nat. Feud.* Wesenb. *in pa-*

An indigenis contra Principem suum agere liceat?

rat. de Conſt. Princ. n. ult. ubique in Obſerv. Excell. Dn. Hahnius id quoque de ſummo Principe affirmat, adhibita tamen diſtinctione inter contractus, quos fecit cum ſubditis ut privatus, ſive ut Princeps, priori caſu tam Civiliter quam naturaliter obligetur, *q*uamvis efficax actio, quâ cogi poſſit à ſubditis non competat: Poſteriori caſu, ſi Princeps quâ talis contrahat, cum ſubditis, puta de negotio, & cauſa ſtatus juribusve &c. equidem tunc legibus Civilibus obſtringeretur, ſed absque vi exigendi. *v. l. 3. de Obl.*

Coram quo judice concives conveniendi.

CLIV. Si Indigenis res eſt cum concivibus, ordinarium judicem aggrediuntur: Si cum Magiſtratu, diſtinguendum, an ſint Schrifftſaſſij an verò Amptſaſſij, illi coram Principe aut ejus Cancellaria: hi coram Præfectis conveniendi, Gotofr. Anton. *Diſp. feud. 7. concl. 4.* Carpz. in Proceſſ. *t. 2, a. 2. §. 7. n. 156.* ratio, quia Schrifftſaſſij immediatè Principi ſubjecti ſunt, Amptſaſſij verò Præfecturis ſubijciuntur, adeoque immediatè Principis jurisdictioni non ſunt ſubjecti: Andr. Knichen *de Iure Saxon. verb. Ducum cap. 6. num. 33.*

Coram quo Magiſtratus?

Coram quo extraneus?

CLV. Extraneum autem convenire debent, aut coram ſuo magiſtratu, videlicet ubi domicilium maximamque partem rerum ſuarum habet, ſeu ubi habitat cum familia; & focum alit, Bald. *in Conſil. 61. Alex. in L. Conr. de Sicar.* aut ratione delicti, ratione contractus, ratione rei ſitæ &c. Ampl. Dn. Præſ. *in Obſerv. ad t. de Iudic.*

Si Indigenæ el. quis eorum competens judex?

CLVI. Contra Indigenas quoque omnes & ſinguli, quibus quocunque modo obligati ſunt agere poſſunt. Sortitur autem Indigena regulariter forum ubi domicilium naturæ ſeu originis habet. Quod de Jure Rom. immutabile

bilè est, adeò, ut neque renunciatione, neque translatione mutetur, *l. origine* *|t. C. de muuicip. & Orig.* nec mille annis perimatur, juxta Bart. *in l. Seja §. Pamphiliæ ff. de fundo instrum.* quia jura naturalia sunt immutabilia, *l. jura sanguinis de R. I. §. 11. I. de I. N. G. & C.* Quare, quocunque se transfert Indigena jus Originis retinet *d. l. 4.* Veruntamen hoc potissimum procedit quoad munera honores & onera personalia, item quoad naturalem Civilitatem, secus quoad jurisdictionem; nam forum amittere creditur in loco originis, qui alibi novum constituit domicilium. Johan. Zanger: *de except. p. 2. cap. 1. n. 68. & 69.* Gail. *Observ. 36. p. 2.* Nobiliss. Dn. Præses *in Observ. ad municipal.* Hinc ex consuetudine Germaniæ universali conveniuntuntur ubi domicilium transtulerunt Indigenæ: Amittunt quoque hodie jura Civitatis originariæ Indigenæ aliò domicilium ..ansferentes ipso secessu & animo non redeundi. Gail. *d. l.* Rosenthal, *de Feud. cap. 6. concl. 86.* Quin nunc transferentem domicilium Originis Indigenam, nec quoad munera, honores aut onera personalia obligatum esse natali solo, verùm hæc omnia insimul perdi & amitti, videre est optimo exemplo Clarissimi Viri, qui cum esset Senator in celebri Civitate, vocatus ad Canceliariatum O. repugnanti Senatui B. ex gravibus causis contradixit, ab Ampliss. Facult. Jurid. hujus JULIÆ approbatis, apud Dn. Præsidem *Observ. 1. ad municipal. tot. n. 4.*

An & quando forum originis sortiantur?


Positio XXXII.

CLVII. Equidem circa Processum tria ut interveniant omninò necesse est 1. Causæ cognitio 2. Decisio seu

Quomodo actiones e[...] ercendæ?

 seu

seu sententia 3. Executio. Hæc enim omni inuniversum processui communia & summa capita existunt. De Probatione, quæ hûc pertinet supra *posit. 13. n42.* dicere antevertimus. Reliqua etiam diligenter attendenti pro diversitate actionum sese promptissima exhibebunt. Nos hic pedem figimus, ingentes summo justitiæ Protectori gratias agentes.



F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag. 1. in med. pro bobo legatur *bono*. p. 3. pro rempore leg. *tempore*. Pag. 4. pro commune leg. *commune*. p. 6. pro Itails leg. *Italis*. p. ead. 6. pro vecatur leg. *vocatur*. it. ead. n. 6. pro pælibatis leg. *prælibatis*. it. in fin pro loquivi leg. *loqui* In fin. p. 7. in marg. pro significatone leg. *significatione*. p. 8. in marg. pro Artochtonesrleg. *Authochtones*. p. 9. n. 15. pro cum leg. *eum*. ead. p. in marg. pro strictu. leg. *stricta*. p. 11. n. 23. pro pattim leg. *partim*. p. 16. in fin. pro misi leg *missi*. p. 17. n. 38. pro fili i9n. leg. *filius in*. p. 21. n. 46. pro streuuos leg. *strenuos*. p. 23. n. 52. pro calliant leg. *calleant*. p. 24. n. 56. pro Rebbusp. leg. *Rebusp*. p. 26 n. 62. pro quas. leg. *quasi* p. 27 in prin. pro admittete leg. *admittere*. ead. p. n. 66. pro originaiis. leg. *originariis* & in fin. ejusd. n. pro Austricus leg. *Austriacus*. p. 31. in marg. pro Comitalibus leg. *comitatibus* p. 34. in marg. pro negunt leg. *negant*. p. 36 in princ. pro comitiit leg. *comitiis*. eod. pag. n. 91. in fin pro legis leg. *ligis*. p. 38. n. 99. pro proparandum leg. properandum. p. 39. n. 101. pro omnia leg. *omnis* p. 40 in marg. pro Eleemosine leg. *Eleemosyna* p. 42. n. 109. in fin. pro fiut leg. *fiunt*. p. 45. in marg. pro prohibundo leg. *prohibendo*. p. 48. in fin. pro quos non leg. *quas non* p. 51. n. 135. pro constittutus leg. *constitutus*. p. 53. n. 140. pro contictu leg. *contractu*. p. 56. n. 150. pro a. leg. *l*.

Plura prelum currens notare vetat.